5

GALLVS
GLORIAE IESV CHRISTI, SPIRITVSQVE SANCTI OBTRECTATOR

PVBLICAE CONTEMTIONI

EXPOSITVS

A

IO. LAVR. MOSHEMIO.



HELMSTADII,

APVD CHRIST. FRIDER. WEYGANDVM.

CIↃ IↃ CCXXXVI.





Vae tot annos meliorem familiae Romani Pontificis partem misere vexant & lacerant difficiles contentiones de gratia Spiritus Sancti, qua nemo salutis aeternae cupidus carere potest, cum multa pariunt alia mala universae rei Christianae noxia, tum hoc potissimum, quo nullum fieri tetrius potest, quod ipsa religionis Christianae veritas & divina auctoritas ab utraque diffidentium parte, triumphi, quam veritatis, amantiori, proterve conculcatur & cavillatorum ludibrio exponitur. *Efficaci*, quam vocant, *gratiae* qui favent, seque ab AVGVSTINO & CORN. IANSENIO disciplinam accepisse gloriantur, fictis ab aliquo tempore prodigiis potius, quam argumentis, certant, quumque de omni sese gradu astutia & artibus adversariorum deiectos vident, visionibus & miraculis populi plausus captare student. (*)

(*) Lege praeter multos alios *Lettre concernant les pretendus miracles de l' Abbé Paris & les convulsions risibles du Chevalier Folard*, quae in *Histoire d' un Voyage litteraire fait en 1733. p. 121.* extat. Epistolae huius autor inter alia *p. 126.* rectissime inquit

His vero fraudibus ita illorum acuitur improbitas, qui libidinum suarum amore omne, quod sacrum & divinum dicitur, spernunt, ut certissima IESV CHRISTI, eiusque legatorum, miracula nihilo firmiora & veriora illis commentitiis esse, publice dictitent, idque olim fortassis contigisse, quod ipsi hodie rident, levissime suspicentur. *Gratiam* e contrario *sufficientem* qui laudant, & LVDOV. MOLINAE, Iesuitarumque, sociorum eius, opinionibus adsentiuntur, non aulae tantum potentia, regalibusque mandatis & poenis, hostes adoriuntur, quod iniquum iam & sapientiae, quam profitentur, inimicum est, verum etiam, dum necessitatem gratiae divinae, dogmataque illi connexa oppugnant, sanctissimum PAVLVM interdum non obscure erroris coarguunt, decretaque Romana divinis enuntiatis anteferenda esse, luculenter significant. Quae quidem audacia quorsum evadat, quantamque paret impiis gaudendi materiam, apertum est. Sunt praeter haec in utroque genere temerarii homines, quibus periculosa haec disputandi ratio placet, ut omnem tam naturalem, quam divinitus traditam, religionem fallacem & incertam fore, ostendendum sibi sumant, nisi sententia, quam ipsi fovent, obtineat. Quae ratio tametsi dudum ad Romani coetus fines amplificandos versutioribus eius patronis perutilis visa sit, nec sine fructu hodie ad pervertendas quorumdam minime malorum mentes adhibeatur, citius tamen eos, in quibus ingenium est, adducit, ut omnem religionem animis eiiciant, quam ut ad certam factionem sese applicent. Omitto, multos sese vel IANSENII, vel MOLINAE partibus adiungere, qui, quum nihil ceteroquin minus, quam pietatem & veritatem, curent, odio unice & amore impelluntur, ut quod temere probarunt, consilio & ratione defen-

quit: *Mrs. les Jansenistes ne se font pas honneur de vouloir s' accrediter par des voyes aussi frivoles & des moyens si opposez au caractere de la vraye religion.*

fendant. (*) Quae quidem cohors omnem pudoris & sapientiae limitem usque eo transilire solet, ut castella religionis dum acriter tuetur, ipsam eius arcem turpissime prodat.

Ex hoc infelici agmine audacissimus non ita pridem gladiator in arenam descendit, qui, ut populo placeret, quam fecit, fabula, personas, vestes, vela & colores ab Indis mutuatus est, disertaque oratione, luminibus & ornamentis Malabaricis ingeniose decorata, *gratiam* quidem *efficacem*, eiusque amicos commendat, Iesuitasque cum *sufficienti*, quam praedicant, *gratia* explodit, reapse vero nullam esse omnibus ex religionibus suadet, cui vir sapiens & recta ratione praeditus salutem committere suam possit. (**) Vlta est hanc effrenatam licentiam supremi Senatus Parisiensis auctoritas, quae libellum a carnifice publice lacerari & comburi, cunctaque eius, quae reperiri potuerunt exempla, tolli iussit. Sed Germani cuiusdam negotiatoris librarii sollertia, cuius famae parcimus, ne plane periret, vetuit. Nam is formis illum superiori anno exprimi denuo curavit, index licet Amstelodami nomen exhibeat, ut esset scilicet, unde ipse rem augeret & incautis ac semidoctis periculum crearetur. Venale igitur nunc inter nos ubique circumfertur pestiferum opusculum, modicoque discere, qui volunt, pretio possunt, quantum incrementi libertas Germanica ceperit. Eo nimirum inter nos,

 cala-

(*) Fatetur id ipse de IANSENII, quem ceteroquin amat, grege homo ille, cum quo hic res nobis potissimum est: *Des hommes, peu embarassez d' ailleurs sur la religion, se declarent Jansenistes precisement, parce que les Jesuites ne le sont pas. Les Princesses Malabares Livr. IV. p. 160. Not.* Idem de Iesuitarum parte dictum puta. Multi ideo Iesuitas affectantur, quia illi Iansenistis, quos odio habent, adversantur, quum ceteroquin ab omni religione aversi sint.

(**) Index libelli hic est: *Les Princesses Malabares ou le Celibat philosophique, Ouvrage interessant & curieux, avec des Notes Historiques & Critiques. Amsterdam. 1735. 8.*

calamitoso rei Christianae & verae pietatis fato, ventum est, ut non modo ubique libere scripta prodeant, honestati, virtuti, religioni, immo sanae menti, noxia; verum etiam si quid monstri aut Gallorum levitas, aut Anglorum gravitas mero concitata peperit, id avide in nostros agros transferatur & benigne foveatur. Sed haec divina providentia, magistratuumque vigilantia curabit. Nos, CIVES, quo huic malo, quod officium nostrum poscit, pro viribus resistamus, virusque a nostrorum inprimis mentibus amoveamus, quod futiles hae chartae rerum imperitis propinant, paucis hodie apertum facere constituimus, vix illis amentius & indoctius aliquid excogitari potuisse. Nec id a diei huius celebritate, quo supremo Numini gratiae pro Spiritus Sancti dono & agendae & referendae sunt, alienum est. Id enim conatur inprimis homo perfidus, ut quae de coelesti origine librorum sacrorum & religionis Christianae, Spiritusque Sancti, quem Servator sanguine nobis suo promeruit, gratia & virtute divinitus accepimus, labefactet, hominibusque, si fieri possit, aditum ad eius beneficia occludat. Primum igitur universe de libri natura & indole, auctorisque ingenio & consilio disseremus, deinde iniurias, quas religioni Christianae & Spiritui Sancto impudentissime intulit, sigillatim propulsabimus.

Summam ante omnia fabulae parum facetae cognoscamus. Princeps quidam ex Indis vir, magni gentis universae Imperatoris nepos, tametsi numeroso & formis pulcherrimis pleno in gynaeceo vivat, uxorique praeterea iunctus sit legitimae, quam impense amat, novos tamen amores meditatur. Adsunt duae virgines, Reginae cuiusdam Malabaricae filiae, quae matrimonium hominis appetunt: utraque dives est, formosa, potens, lepida: utraque nihil relinquit intentatum, quo voluntatem sibi eius & amicitiam conciliet: utraque magnis utitur & facundissimis patronis. Ipse vero incertus prorsus haeret, quid faciendum sit, sollicitusque
cum

eum animo suo deliberat, utra sit alteri praeferenda. Ad extremum vera eius coniux, tamquam Deus ex machina, prodit, neutramque ducendam esse, sciscit. Paret homo uxoris consilio, coelebsque manet. Nihil in hac tota narratione grave, nihil splendidum, nihil inauditum: multa e contrario puerilia, ridicula, dissona, & arti scite ac eleganter fingendi repugnantia. Ipsum fabulae caput novus homo est & ex rebus toto genere disiunctis compositus. Ecquis enim ita delirat, ut multarum mulierum corruptorem & uxoris unius fidelem maritum, eumdemque nihilo minus coelibem cogitando informare valeat? Intellexit poëta, tam informe monstrum fraudi sibi fore apud omnes, qui ratione non prorsus vacant, ideoque mores Indorum ex nostris aestimandos esse negat, castumque aliquem hac in gente ipsis in gremiis mulierum suaviter vivere posse, monet. (*) Sed haec quis inepte dici, non sentit? Mulierosus enim Indus, foeminarum pulcherrimarum grege stipatus, vitamque in illo cum voluptate conterens, idemque continens, pudicus, coelebs, ita est ab omni veri specie remotus, ut lupus ovem forma & natura referens. Addo aliud, quod aeque ad excusationis huius partem evertendam, atque ad ignorantiam temerarii scriptoris aperiendam facit. Regina illa, cuius binae filiae coniugium Indi, quem inducit, optant, inter concubinas eius principem locum fere tenet. Paterne igitur, isque coelebs, filiarum amore uritur, filiaeque patris in thalamum

 mum

(*) p 3. Les froides Nations s' etonneront de m' entendre ici protester ouvertement que je veux garder le celibat, quand elles sçauront que je coule mes jours dans un Serail superbe - - enrichi de tout ce que le sexe a le plus appetissant: moi qui parlerai de mes Sultanes & qui même ne rougis pas de reconnoitre que j'ai une Epouse. C' est que nos moeurs ne tiennent rien des usages etablis dans le Nord. Chez moi la chasteté simpathise avec la pluralité de mes femmes. Moins une chose est defendue, moins on la desire, & le Serail ne devient pas toujours ce que l' on en publie dans l'Europe.

mum deduci volunt? Ita quidem principio videtur: ſed vafer homo dedecus hoc abſurdo quodam commento tollere ſtuduit, nec tamen totum abſtulit. Fingit enim multos alios viros hanc reginam habere. (*) Hoccine ſanum eſt & Indorum moribus aptum? Verum haec & alia vitia, orationis aſperitatem, narrationis ſiccitatem, ſcurrilem ſcriptoris dicacitatem, rerumque imperitiam, membrorum corporis totius disiunctionem, & quae praeterea mentes bene conſtitutas non poſſunt non offendere, artium elegantiorum arbitris & tutoribus caſtiganda tradimus. Nihil forte verius eſt in toto libro, quam id, quod in praefatione ſcriptum legitur, (**) *caſtra ſequi* conditorem eius; itemque id, quod alibi ipſe auctor perhibet, libellum ſuum *immaturam eſſe imaginationis praeter modum concitatae prolem.* (***) Muſas certe, bonamque mentem negligenter admodum, quod ſtatim manifeſtum fiet, coluit.

Indica haec fabula, mutatis nominibus, de religionibus, de Servatore noſtro ſanctiſſimo, de re tota divina narratur: nec id obſcurum eſſe voluit inventor. Quamvis enim, quod poetae ſolent, animi notiones, ſectas, virtutes, aliaque non oculis, ſed animo, videnda perſonarum habitu veſtiat, barbariſque vocabulis, tamquam integumentis, veluti obruat, nomina tamen leviter tantum deflexa ſunt, ut, litterarum ordine paullulum mutato, nuda res appareat, praetereaque, ne moleſtiae aliquid lectori creetur, clavis aenigmatis opuſculo ſubiecta eſt. Indorum Imperator ipſe Deus eſt optimus, maximus. Nepos eius, **RASONI-BALE**, cui pri-

(*) *Livr. IV. p. 136.* Je ſuis deja convenu de ma liaiſon avec la Princeſſe Cheretine. - - - Je puis donc me faire l' honneur d' avoüer que me voila dans le Catalogue des Epoux de la Dame.

(**) *Praef. p. 8.* Quoique l' autour n' ait de Miſſion que celle dont la Charité munit tous les hommes - - quiqu' il ſoit HOMME D' EPEE: que ſcait-on? S. Paul en portoit bien une.

(***) *Livr. I. p. 2.* Production libertine d' une imagination frappée.

primas in hac scena partes dedit, philosophus seu homo ratione, quemadmodum fas est, utens. Pellices, quibus gynaeceum eius refertum est, variae sunt religiones, Deumque colendi formae. Princeps harum, cui CHERETINES nomen imposuit, religio Christiana est. Ex hac quae natae sunt binae filiae, de Indo ad se pelliciendo sollicitae, quarum altera GRECA BELLA, altera GRECA SERVA vocatur, *Gratiam efficientem* & *sufficientem* designant, seu Iansenistas & Iesuitas; factionum, quae Romanum coetum tantopere disturbant, duces. Vera hominis uxor, quae consilia eius omnia moderatur, neutrique virgini maritum suum sociari vult, anima est seu recta ratio. In ipso quidem opusculo *anima*, quam EMA vocat, & *recta ratio*, cui RASONI nomen dedit, disiunguntur, nec secus, ac duae mulieres institutis & opinionibus diversae, introducuntur: at in peroratione discrimen hoc sublatum, *animamque*, *libertatem*, quam BERTILE appellat, & *rationem*, tres tantum unius rei modos & formas esse, diserte traditum, videmus. (*)

Ipse auctor hoc sibi unice propositum esse, significat, ut, neutram factionem, quae tam acerbe inter Romani Pontificis sectatores de natura gratiae litigant, dignam esse ostendat, cuius in praecepta vir consideratus & rationis compos iuret. (**) Et hos intra limites si constitisset, tolerari posset.

(*) Sic enim uxor Indi loquens inducitur, p. 194. *Sous la figure d'* Ema, *ton Epouse, tu m'a plus estimée que chérie. Mais je me suis rendu la maitresse de ton Esprit: sous les dehors de* Rasoni, *& celle de ton coeur sous l'apparence de* Bertile. *Ces deux filles n'etoient que des fantômes: ne les cherche plus dans le Palais: c'est toujours moi-même:* Ema, *ta moitie fidele.* Et quae sequuntur.

(**) p. 3. in Adnotationibus: *Le Celibat philosophique est le refus d'epouser un des deux partis qui divisent la religion en France, en supposant, que l'Eglise n'a pas parlé. Ce refus vient d'un Philosophe Chretien.*

possit. Quis enim probo & sapienti, ipse probus & sapiens, crimini dederit, si suum esse neget, alteram ex duabus sectis probare, quae iura omnia divina & humana victoriae studio violant, tametsi, quod ex varietate definitionum apparet, qualis sit gratia illa tam *efficiens*, quam *sufficiens*, pro qua tam furiose dimicant, nondum satis explorate cognitum habeant? Verum verba nobis dare hominem, consiliumque eius multo latius patere, ita est planum, ut id, quod maxime liquet. Principio animus ille a patrium studio alienus, quem prae se fert, nusquam conspicitur. Iesuitarum contra inimicum & IANSENII patronum ubique agnoscas. Fatetur ipse, bellum se cum potentissimo illo ordine, quem LOYOLA condidit, suscepisse: (*) LVDOV. MOLINAM, quem in oculis ferunt Iesuitae, ut vesanum & ridiculum hominem, passim illudit: (**) *Gratiam efficacem*, quam GRECAM, id est, GRATIAM BELLAM dicit, magnificis in coelum laudibus effert. (***) *Gratiam* Iesuitarum *sufficientem* cum ipso GRATIAE SERVAE nomine infamat, tum multis aliis contumeliis afficit:

(*) Preface p. 5. *Tout le crime que l'auteur avoue, & dont il ne se repent pas, c'est de maltraiter un corps puissant & fort à craindre.*

(**) Vide *Lib. IV. cap. VII. p. 172. 174. 177. 185.*

(***) Ex multis vel haec, quae *p 142.* leguntur, rem plane conficiunt: *Greeca* (Grace) *surnommée la belle est une fille insinuante, affable, genereuse, magnifique, ses regards enflament & persuadent, elle est toute puissante: rien ne lui resiste. - - - Palu* (ita S. PAVLVM vocat) *l'a promenée partout: elle étoit l'amecon dans la peche merveileuse qu'il faisoit avec Mison* (is est SIMON PETRVS, Servatoris nostri discipulus) *& ses confreres.* Adde quae *Livr. IV. §. III. p. 149.* extant: *L'amitié que Palu* (PAVLVS) *porte à l'ainée, fait que l'on nomme volontiers Posalotique* (id est, Apostolique). Evidens est ex his, *gratiam efficacem* IANSENISTARVM videri homini a S. PAVLO & PETRO, ceterisque Servatoris nostri legatis, traditam.

cit: (*) PASCH. QVESNELLVM, librosque & ab hoc, & ab amicis eius editos intemperanter commendat: (**) Ne ipsi quidem Iesuitarum parenti, IGNATIO LOYOLAE, parcit, quem existimatione sua paullo post exutum iri, praedicit. (***) Praetermitto alia eiusdem generis & argumenti. Haeccine philosophi sunt coelibis, seu viri moderati, qui spectat tantum, quid agatur, ipseque quietus & immobilis, se ab assensione sustinet? Aut num hominem de-

B clarant

(*) Vix atrocius aliquid in *gratiam* Iesuitarum *sufficientem* dici potest, quam haec, quae p. 142. 143. 144. leguntur: *Greca* (Grace) *appellée Esclave, est une icune personne sans volonté, vrai Cameleon de cour, flechissant toujours vers le plus fort. Elle se presente a tout le monde: elle est pour tout ce que l'on desire. - - Putidice* (cupidité) *la tournoit comme elle vouloit. Elle a été par tout, chez Painée* (haec est religio plurium Deorum, Payenne) *chez Juvie* (hoc nomine Iudaeorum religionem indicare solet) *chez les Edistes* (Deistes) *de toute espece, à la cour même de Licufre* (*Luciferum* intelligit seu malorum geniorum principem) *& jusqu' a celle de l' indigne Theasime:* (Atheisme) *c' est la fille du monde qui a le plus voyagé: on pourroit la nommer Erratique.*

(**) Preface p. 4. *La posterité le croira -t- elle? Quand on lira les Reflexions & les Apologies du P. Quesnel, les Hexaples, le Temoignage de la verité - - - tant de lumineux instrumens que Dieu emploie au maintien de la saine doctrine & a la conversion des traitres: on ne pourra se figurer que, pour imprimer ces Oeuvres saintes - - il falloit se derober aux yeux des Maitres: que la recompense de ces rares travaux etoit l' exil, les cachots, le carcan.* Plura huius generis alia passim in Adnotationibus in extremis paginarum oris additis leguntur.

(***) Livr. IV. p. 202. *L' Eglise estime* Ginace (intellige patrem Iesuitarum, IGNATIVM LOYOLAM) *pere de Lomina* (is MOLINA est): *mais elle chérit Gusinaut* (ita AVGVSTINVM nominat, delicias IANSENII & sectatorum eius) *qui est plus ancien. Elle ne souffrira toujours qu' un Avanturier* (hoc convitio Iesuitarum inimici solent LOYOLAM notare) *triomphe.*

clarant odio & amore distentum, certoque generi mancipatum? Occurret hic forte nobis mirmillo noster, dicetque, amare se quidem IANSENII *gratiam efficacem*, verum ita, ut Indi pellices suas, quas dimittunt, quum volunt, non vere nimirum & ex animo, sed libidinose tantum & voluptatis caussa. Bene habet; verum illud esse, ex iis statim intelligetur, quae disputabimus: coelebs omnino noster est & homo nullius fidei. Sed qua tandem fronte affirmare audebit, neutram earum familiarum sese consectari, quae Galliam affligunt?

Quod deinde de his Gallorum sectis sese unice consultationem habere, tradit, id aeque falsum & vanum est. Alio longe spectat. Fabula tota quum in quatuor sit actus divisa, ultimus tantum in castigandis Iesuitis, adversariisque eorum laudandis consumitur: reliqui tres, qui praecedunt, Historiam vitae Indi illius, quem in scenam producit, complectuntur, aut, ut semota figura loquamur, religionum variarum, & in his naturalis, Iudaicae & Christianae, fata exhibent: in quibus fatis explicandis ita versatur, omnes ut religiones derideat, nullamque viro bono & sapienti adoptandam esse, decernat. Haec illa est continentia philosophica, quam praedicat: cetera fuci tantum faciendi caussa adduntur.

Illis quidem, qui e longinquo salutant hominem, non spurcus prorsus & immundus esse videtur.

Quum faciem videas, videtur esse quantivis pretii
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.(*)

Maximam enim erga supremum Numen reverentiam simulat, quem *Imperatorem*, ut audivimus, vocat: eos, qui Deum esse negant, execratur & infra omnium hominum infimos ponit: legem seu religionem naturalem rerum omnium praestantissimam & saluberrimam esse, sibique ita gratam & acceptam

(*) TERENTIUS Andria Act. V. Scen. II.

ceptam, ut nihil acceptius sit, passim perhibet: animam interire nullo modo posse, bonisque bene omnia, malis cuncta male post fata esse eventura, statuit. Haec & alia, quae per totum disseminata sunt opusculum, signa hominis videntur esse non prorsus immodesti atque naturalis saltim religionis praeceptis imbuti. Sed & ipsam religionem Christianam magni facere, ceterisque omnibus anteponere videtur. Nam & generatim Christianum sese esse ex illis, qui Romana sequuntur placita, profitetur, (*) & multa sigillatim de salutis via, quam sanctissimus monstravit Servator, praeclara & honorifica commemorat. IESVM CHRISTVM unicum Dei filium, ipsumque Deum esse, tradit: (**) adventum eius ad homines, gloriam & fata a DAVIDE, aliisque vatibus multo ante praesignificata esse, concedit: (***) praecepta ab ipso lata a Deo profecta, humano generi saluberrima, omnisque sapientiae plenissima esse, statuit: (****) ipsam rationem amicam

 esse

(*) Preface p. 5. *L'auteur declare avec joie qu'il est né dans la religion Chretienne, telle que le Saint Siege Apostolique de Rome l'a professée, & la professera toujours.*

(**) Livr. III. §. I. p. 84. *L'Empereur* (Deus) *m'a envoyé le Prince Codrus*, (hoc Attici Regis nomine IESVM, Servatorem nostrum, indicat) *son fils unique, Roy luy-meme.*

(***) Livr. III. §. II. p. 92. *Juvie* (religio Iudaica) *reconnût bien-tôt dans Codrus* (Iesus Christus) *le heros qui devoit la detrôner. Vaddi* (David) *fameux tireur des horoscopes, de vieilles Pythonisses que l'on nommoit Frotepies* (Prophetiés) *des Sibyles, d'illustres Astrologues du tems en faisoient l'annonce & jusqu'au portrait, en prevoyant toute sa gloire.*

(****) Livr. III. §. I. p. 88. *L'Empereur* (Deus) *a pris Cherctine* (religio Christiana) *sous une protection particuliere, que jusqu'a present il n'a accordée à aucune Roligine.* (Religion) *Elle est tres-fiere & parfaite en beauté, fille de Jovea* (Iehova) *& de Pridovencee* (Providence) *on l'aime beaucoup; & la demarche, que l'on à faite auprés de moi, prouve egalement que j'ai assez expié la folle complaisance de Dama:* (Adam) *celà me console.*

esse CHRISTO, nec impedire docet, ne quis uniuersam eius religionem complectatur, modo sordes superstitionis fugiat, vitio hominum castissimae disciplinae aspersas: (*) Spiritum Sanctum doctrinam a CHRISTO patefactam animare atque in hominum mentibus firmare, adseverat. (**) De librorum etiam, quos divinitus nobis datos esse novimus, auctoritate certissimus esse videtur, quum ea, quae in his de hominis ortu, natura, primorum generis nostri parentum peccato & miseriis tam animi, quam corporis, ex hoc delicto natis, scripta leguntur, tamquam initia & fundamenta toti narrationi suae ea ratione subiiciat, ut his loco motis ipsam fabulam prorsus corruere & ad nihilum recidere, necesse sit. Haec, aliaque, quae studiose omittimus, si quis sola spectet, in hominem sese pene deiceret incidisse labis omnis nescium, Christianaeque veritatis sic, uti fas est, amantem. Immo amplius aliquid ipsi fortassis tribuet, si cum his probra coniunxerit, quae Pontifici Maximo, eiusque decretis, conciliis, iuribus, dogmatibusque & institutis Romani coetus omnibus libere & audacter obiicit. Nihil enim fere eorum, quae in rem Romanam contumeliose dici possunt, apud eum desideratur; quin personae, quam sumsit, usque eo obliviscitur, ut nostra & Reformatorum

scita

(*) Sic enim ratio loquitur non longe a fine libelli p.201. *Tu peux t' en tenir aux termes où tu en es avec Cheretine.* (Religio Christiana) *S'il faut que chaque Prince tel que toi, ait une Roligine* (Religion) *dans son Serail, c'est celle-là que je souffrirai. Quoiqu' il en coute a ma delicatesse, je consens a tout & je ne serai pas jalouse. Je la respecte même: c' est une Dame vertueuse & elle te portera au bien, si tu écartes de toi l' insensée Stupritinose.* (Superstition)

(**) Audiamus ultima libelli verba p. 202. *Sûrement Cheretine* (disciplina Christiana) *a Perits.* (ita Spiritum S. nominare solet. *Esprit*) *Ofi* (fides, foy) *me l'a dit: où est le corps, là s'assemblent les Aigles. La Dame ne s'en dessaisira pas: c' est le plus riche fleuron de sa couronne.*

ſcita Romanis meliora & ſacris litteris conſentanea eſſe, confiteatur, ſeque, ſi rationis iudicium audire vellet, aut ad nos, aut ad Reformatos acceſſurum eſſe, cum alias propter cauſas, tum maxime ob reſtitutum a nobis in S. Coena calicem & repudiatum *Transſubſtantiationis*, quod vocant, abſurdum commentum. (*) Tanta vis eſt veritatis, ut eorum etiam non poſſit non animos commovere, qui alioquin de nulla re minus, quam de religionis & pietatis ſalute, laborant!

Verum pigmenta haec ſunt omnia, ea re unice adſcita, ne ſumma ſcriptoris temeritas & impietas lectores nimis terreret. Propius ſi acceſſeris, attentiusque os Indici huius mimi contempleris, repente colores defluunt, malaque ſcabies, ulcera, rugae, maculae, ingens faſtidium & indignatio-

 nem

(*) Intelligent hoc facile, qui figuratae hominis orationi adſueti ſunt, ex his eius verbis, quae *Livr. IV. §. VI. p. 169.* extant: *Silvaniste* (intellige coetum, qui CALVINVM ſequitur. Calviniſte) *prêtera main forte a la fille de Guſinaut:* (*Guſinaut* AVGVSTINVS eſt: filiaque eius *gratia efficax* & IANSENISTARVM familia, quae pro hac *gratia* fortiter dimicat) *elle lui ioindra même Theulerine.* (Hoc vocabulum nos tegit, quibus LVTHERVS viam ad veritatem aperuit. *Lutherienne*) *Ces deux femmes disgraciées, mais puiſſantes, haiſſent autant Miſon*, (SIMON. Pontificis Romani hoc nomen eſt) *qu' elles aiment Palu.* (S. PAVLVM.) *Leur crime capital eſt, qu' elles ont deplû au premier Miniſtre, dont elles ont revelé les Monopoles.* (Ita vocat ſordidam *indulgentiarum* nundinationem, quae principem LVTHERO occaſionem praebuit Romanam eccleſiam invadendi) *Raſoni* (ratio, *raiſon*) *ne veut pas que j' examine ſi leur proſcription eſt fondée: mais je ſcai bien que, ſi elle vouloit me parler a coeur ouvert, j' epouſerois peut-être une de ces deux Dames, quand ce ne ſeroit que dans l' eſperance de boire en mangeant*, (id eſt, ſpe potiundi calicis in S. Coena) *obiet qui intereſſe beaucoup la ſanté: ſur tout depuis que ces Princeſſes infortunées n' offrent plus à leurs convives que des conſommés & pour ainſi dire l' eſprit des viandes.*

nem cient. Ita vivitur difficillimis hisce moribus & temporibus! Nulli magis de dignitate, auctoritate & incrementis religionis & pietatis videri volunt sollicitì, quam illi, qui bonis eius invident, tantumque artis, consilii & diligentiae ad eam radicitus extirpandam afferunt, quantum mentes furore libidinum oppressae capere possunt. Comoedus hic, aut Tragicus potius, Malabaricus, sanctissimam, quam a filio Dei traditam habemus, disciplinam, tot ludificatur, tamque indignis modis, praeclaram licet in eam voluntatem ostendat, ut difficile dictu, auribusque non prorsus profanis intolerandum sit. Omnes primum religiones prorsus similes esse inter se & eiusdem generis ac naturae, nullaque re, nisi finium amplitudine, rituumque dissimilitudine & copia differre, adseverat, id est, omnes ineptas esse & futiles: omnes superstitione regi, non sapientia, praetereaque multis vitiis, crudelitate, aemulatione, ficta pietate, laborare: omnes vanis promissis cultores suos lactare ac decipere: omnes legem naturae conculcare & evertere: omnes metu exanimari, si forte sanam rationem conspiciant, ideoque iunctis opibus & armis, magna licet in opinionum varietate alioquin positae sint, in eam, tamquam communem hostem, irruere: at mascule fortiterque rationem resistere, religionumque fraudulenta consilia, avaritiam, & deformitatem ex latebris suis in lucem protrahere. (*) Excipi forte aliquis putet ex damnata hac turba chri-

(*) Longior est, quam ut totam huc transferre liceat, insana haec oratio: Igitur particulas tantum insigniores recitabimus. Libr. I. §. II. p. 45. *Les Religines*, inquit, (religions) *ont presque toutes la meme physionomie: le même accent de voix, qui approche de celui qu' en Europe l' on appelle le Gascon: la même monotonie moëlleuse, insinuante. - - - Mais dans le coeur elles retiennent tout le poison de Stupritinose* (Superstition) *cruelles, vindicatives, interessées, hypocrites, faisans de belles promesses, peut-etrê hors du pouvoir d' executer aucune de leurs paroles. Elles ne*

christianam religionem: verum cavit providus homo, ne tam clementer aliquis coniiceret. Subiicit enim continuo, rationem, si quod maxime cuperet, etiam liceret, omnes religiones interemturam & extincturam, *veteremque Deismum* (ita nominat religionem naturalem, quam solam primis mortalium placuisse opinatur) in earum locum suffecturam esse: multa quidem adhuc obstare, ne hoc fiat: at se tamen cum sociis consilium illud animo conclusum gerere, commodumque tempus destinata perficiendi expectare. (*) Habemus igitur reum fatentem, hominem, qui aperte omnibus religionibus, si eam demas, quam assequitur ratio, bellum denunciat. Sufficeret nobis, & sufficeret omnibus, qui non plane stupent, hoc unum, quod in semetipsum dicit, testimonium: at ipsi minime sufficit. Nihil magis timere videtur, quam ne quis credat, pietatis & religionis aliquid apud se residuum esse; adeo dives est pusillus liber pessimae voluntatis parentis sui erga disciplinam nostram documentis. Ex multis, quo satietati occurramus, ea decerpemus, quibus MOSEN, sanctissimum virum, divinosque eius libros conspurcare ausus est. MOSIS narrationibus de generis humani ortu, de calamitatum nostra-

ne different entre elles, que par l' etendue de leur domination: par le plus ou le moins de fard. - - La jalousie & l' ambition reglent les demarches de ces furieuses. - - Elles pesent leur terme a l'egard de Natarelle-Oli (Loi Naturelle) *& elles menagent pour elle seule un tour de phrase, parfaitement equivoque: feignant de plaindre le sort malheureux d' une Princesse dont elles fourragent le patrimoine. --- Au nom seul de Rasoni* (rasoni) *elles fremissent toutes: leur aversion pour elle ne peut se depeindre. Elles la combattent. --- Rasoni* (raison) *leur rend parfaitement le change, en demasquant aux yeux de tout le monde leurs folies, leur avarice, leur aveuglement volontaire.*

(*) l. c. p. 46. *Si elle en avoit la force, elles les etrangleroit toutes de sa propre main & elle donneroit leurs Etats aux anciens Edistes:* (Deistes) *L' entreprise n' est pas encore possible: les projets que nous en minutons, de long-tems ne sortiront de ma Bibliotheque.*

nostrarum caussis, de insidiis a malorum geniorum principe gentis nostrae conditoribus structis, de populi Iudaici fatis, aliisque, fidem videtur adiungere; His enim, quod ante diximus, tamquam fundamentis & principiis universa eius historia nititur. Cave vero credas, serio hoc & ex animi sententia fieri. Desipit adeo impotens poëta, ut quae a divino isto viro memoriae mandata sunt, cum LVCIANI *vera Historia* comparet, (*) nec clamare dubitet, cuncta, quae Hebraearum litterarum periti ex MOSIS, ceterisque antiqui foederis voluminibus, eruerunt, crudas esse dapes, insulsas & male digestas fabulas, quas recte constituta ratio plane respuat & contemnat. (**) MOSEN ipsum, vatum omnium maximum, nemo forte post natos homines amentius & malitiosius aggressus est, quam novus hic ex castris disputator. Refugit animus & formidat dicere, quae impudentissime effutit: sed unum tamen, quod cum immane, tum perridiculum est, referam. Peritissimum Chymiae MOSEN fuisse, huicque arti, quae nitro, sulphure & carbonibus scienter temperatis multa facere docet, quae mirabilia populo videntur, miracula eius potiora accepta

---

(*) Livr. II. §. X. p 82. *La terrible Pussicane*, (Puissance: infinitam Dei potentiam hoc vocabulo indicat) *Generalissime de la Marine & de l'Artillerie de l'Empereur* (Dei) *se fait honneur de tous les evenemens, dont Omise* (hic MOSES est) *nous regale dans ses Histoires vraies.* Frigidum hoc convitium, ne quis forte litterarum expers, secus acciperet, quam voluit, in subiecta adnotatione his verbis interpretatur: *titre d' un Ouvrage de Lucien.*

(**) Livr. I. §. V. p. 12. *J' ai là dessus des manuscrits dans leur langue, (l' Hebreu, que quelques Scavans croyent entendre) que j' ignore totalement. Ceux de mes sujets, qui se piquent le plus de litterature, voudroient me persuader qu' ils me traduisent fidelement ce jargon: mais ils me rebattent tant de fables mal cousuës, que ma bonne amie Rasoni* (Ratio) *-- me suggere de me mefier de leurs Relations. -- Elle se fachera toujours quand on lui parlera de mes Annales.*

cepta esse referenda, perhibet. (*) Hoc nisi est stulte sapere, equidem quanam in re vocabulum hoc poni debeat, nescio. Fuit sine dubio id ipsi potissimum in animo, haec quum improbe effunderet, quod contigisse accepimus, quum lex populo Ebraeo de vertice montis Sinai a Deo ferretur. Contremiscebat tum coelum fulminibus, atra nubes montem tegebat, vehemens sonus, buccinae cantui similis, audiebatur, totus mons, quem amplissimum esse novimus, ignem fumumque spirabat, ab imisque radicibus commovebatur, *Exod. XIX. 15. 18. 19.* Sexcentorum millium exercitus oculis, auribusque cuncta haec percipiebat, adeoque illis perterrebatur, ut trepidus fugeret, legemque mallet quamcumque, duram licet & difficilem, suscipere, quam terribilis huius prodigii metu diutius enecari. Tantae res si proficisci possunt ab illis, qui Chymiae mysteriis initiati sunt, vimque nitri, sulphuris & carbonum callent, equidem quid sit ignoro, cur ex hoc genere praeter MOSEN nullus tam illustri spectaculo gloriam sibi & auctoritatem inter homines comparare noluerit, & ad haec usque tempora nolit, quibus ad summum paene gradum perfectionis haec ars pervenit. Sed dignum hoc est milite, sub pellibus dormiente, qui ruinas urbium, nitri, carbonum & sulphuris virtute concussarum, saepe spectavit, somnium. Solent nimirum hominibus artis, quam didicerunt, imagines ante oculos versari, tametsi de rebus tota inde natura remotis disputent: utque nauta nil nisi ventos & procellas, ita miles gladios, tela, pulveremque bellicum sine fine narrat. Nec idcirco, si acrius insles, dubito, quin ingenue contendat heros noster, MOSEN catapultam in monte Sinai instruxisse, globosque igneos hinc, ut pyrobolarii solent, in subiectos campos iaculatum esse, immo primum

 pul-

(*) Livr. III. p. 81. *Expert dans la Chymie il composoit des prestiges eblouissans, des phosphores ingénieux, avec le souffre, le charbon & le salpêtre.*

pulveris illius nitrati, qui tantas in bello ſtrages edit, inventorem eſſe. MOSEN, divinaque volumina noſtra qui tam ſcelerate inſectatur, is quantum CHRISTO, eiusque ſanctiſſimae diſciplinae dare poterit? Plura his adiungere liceret eiusdem rei teſtimonia: ſed neceſſe non eſt hoc loco, quum omni dubitatione maiora deinceps proferenda & caſtiganda ſint.

Ergo, inquiet aliquis, ex atra *Deiſtarum*, quos vocant, cohorte lucifugus hicce Gallus ad patefactam omnem religionem dignitate ſua, ſi fieri poſſet, privandam in medium proceſſit. Vellem vere haec dici! Nam ut ſatis ad perniciem ſuam inſtructus ſit, qui partam nobis IESV CHRISTI merito felicitatem ignorat & deſpicit, aliqua tamen adhuc parte valet, ſi ſapientiſſimam & potentiſſimam naturam res humanas curare, mentes hominum mori nullo modo poſſe, bonis bene, malis male in futura quadam & aeterna vita fore, haud dubitet. Verum aut nos fallunt omnia, aut, quam homo noſter oſtendit, erga Deum, hominesque pietas ſimulata & ad ſpeciem inſtituta eſt, SPINOZAEque praecepta animum eius totum inquinarunt, & deſperato ſimilem reddiderunt. Ipſe multis in rebus optime ſibi cum SPINOZA convenire, profitetur, neque negat, non poſtremam ſermonum, quos *Raſoni*, uxorem ſuam, id eſt, rationem ſapienter informatam, recitare facit, ex ſchola protervi huius Iudaei derivatam eſſe. (*) Metus obſtitit, ut puto, ne toties tam ingenuus eſſet, quoties res ipſa id flagitabat. Iſtud autem ſilentium eius haud impediet, ne illi, qui verborum poteſtatem ex rebus, non ex verbis rerum rationem metiun-

(*) Livr. I. p. 37. quum de ortu imperiorum & rerum publicarum diſſeruiſſet, in ſubiecta adnotatione ducem ſe SPINOZAM ſequutum eſſe monet: *La plus grande partie de ce diſcours de la Raiſon eſt priſe de Spinoza.* *Livr. II. c. V. p. 56.* ubi de Deo, eiusque natura loquitur, ſimilia leguntur: *Cet Article a deux faces. Si l' on entend ſimplement des Princes de la terre on trouvera tout cela beaucoup d' aprés Spinoſa.*

metiuntur, intelligant, idem ipsi de Deo videri, quod visum est SPINOZAE, naturam rerum, Deumque ex opinione eius non, nisi vocabulo, discrepare, legem denique naturalem, cui obtemperandum esse statuit, uniuscuiusque hominis voluntatem & propensionem esse. Iudicent, qui possunt, ex illis, quae iam afferentur, num temere & sine praesidio tanti criminis accusationem commoliamur. Deum qualem esse censeat, haec animae sive rationis verba ex longa illa eius oratione, quae fabulam terminat & simul enodat, declarant: *Certum te oportet esse*, (rationem) *Deum hic, Iesum Christum & Spiritum S. referre. Ipse Deus ad te accessit, quum Christus huc veniret: Spiritusque ille sanctus, quem omnes sibi arrogant Christiani, nullus iterum est alius, quam ipse Deus. — Aliam accipe similitudinem, haec si nondum omni obscuritate vacat. Nosti principia rerum, salem, Sulphur & Mercurium: haec Trinitatis nomine insigniuntur: Et hoc nomen mihi non minus, quam ipsi Deo, convenit.* (*) Barbarum & impeditum sane oraculum! cuius tamen interpretatio parum illi molestiae creabit, qui disciplinam a SPINOZA traditam non ignorat. Huic enim, insipienti philosopho, quum Deum esse naturam per rerum universitatem fusam & per hominum, animaliumque corpora particulatim distributam, stolide praecipiat, dicere id licet, quod hic dictum cernimus, animam hominis seu rationem Deum hic exhibere, immo propter tres, quibus valet, facultates, intelligentiam, voluntatem & memoriam,

 trinum

(*) Livr. IV. §. XII. p. 193. *Concoi dont que je represente ici Jovéa* (Iehovah) *Codrus* (Iesum Christum) *&* *Perits. Si Codrus t'a visité c'etoit l'Empereur lui même: l'Oiseau* (Spiritus S.) *dont on se dispute la possession, c'est encore Sa Hautesse elle-même. Une seconde comparaison te plaira-t-elle mieux? Tu connois les Crepipins* (Principes) *le Resouf*, (Souffre) *le Murcere* (Mercure: vocabulum *Sel* hic sine dubio negligentia descriptoris omissum est) *ils portent le nom de Pritliceti* (Triplicité) *& ce nom là me convient égalment comme a l'Empereur.*

trinum ſimul & unum Numen vocari poſſe. Secus ſi quis malit triſte carmen & Chymicorum iterum deliciis conditum accipere, & ex eo vel Sabelliani erroris, vel aliorum flagitiorum auctorem poſtulare, vim eius totam & poteſtatem haud exhauriet. Studioſe quidem caliginem conſectatur, eoque modo miſcet omnia, ut mediocriter acutis aliqua ſaltim erga Deum reverentia, minus licet pura, tactus videri queat: verum principium & exitum orationis ſi bene reputes, attenteque & inter ſe & cum reliquis libri ſcitis omnia compares, ſuo ipſius indicio, tamquam ſorex, infelix ſcriptor proditur. Iunge cum his ea, quae de naturae neceſſitate, fatalique eventorum omnium ordine tradit, nec dubitabis amplius, cuinam magiſtro addicendus ſit. Docet, quod publice notum eſt, in elementis ſcholae ſuae SPINOZA, aeterna & immutabili lege omnia, quae ſunt, ferri, & quaecumque fiunt ita cum illis, quae facta ſunt, copulata eſſe, nihil ut praeter id, quod contingit, evenire queat. Ab hoc initio maxima pars doctrinae, quam probat, unice ducitur; Ex hoc humanarum actionum neceſſitatem efficit: Hoc dogmate fretus, omnia tollit miracula, a quocumque demum facta ſint, nec pugnare veretur, quae prodigia dicuntur, aut arte, verſutiaque hominum, aut vi quadam naturae non ſatis perſpecta perfici. Hoc vero praeceptum tam ſollicite gerro noſter in animum demiſit, ut iisdem fere verbis, quibus praeceptor, id exprimat. (*) Vnde facili colligitur coniectura, qualem de Deo, de officiis hominum, de libertate & de omni re divina ſententiam fovere ipſum oporteat. Hactenus de ingenio ſcriptoris, librique, quem

in

(*) Sic nimirum *Ratio* loquitur *Livr. II. §. X. p.52. J'oſe t'aſſurer, qu'il ne ſe fait rien contre l'ordre des loix immuables qui régiſſent l'univers. Ce que le vulgaire appelle un prodige, s'il eſt vrai & non pas une impoſture, ne doit être que quelque phenomene dont peu d'hommes, ou point du tout, penetrent la cauſe: de là vient qu'on le croit au deſſus des forces communes.*

in lucem infaustis auspiciis protulit, rationibus & habitu. Progrediamur ad contumelias, quas sigillatim in religionem Christianam intolerabili arrogantia & vecordia torquet.

Totus quidem libellus iniuriis eiusmodi refertus est; verum modus institutae huius scriptionis prohibet, ne omnia haec flagitia corrogemus, vestraeque, CIVES, exponamus contemtioni. Consulto dicimus contemtioni: tam scite enim sunt & concinne inventa, ut neminem vestrum tam a ratione remotum esse confidamus, quin illico, si modo caussam cognoverit, ea contemturus sit. Igitur in *tertio libro*, qui religioni Christianae soli proprius & dicatus est, medullamque veluti complectitur eorum, quae vitio huic esse putat elegans religionum spectator, consistemus: cuius quidem si depulsae erunt machinae, cetera, quae ad alias commentarii partes versute attexuit, convitia fracta simul & dissipata erunt. Liber is, in decem distributus capita, originem, progressus, naturam disciplinae nostrae ludicro sermonis genere persequitur, nulla ordinis, veritatis, sapientiae ratione habita. Nihil constantiae in eo, nihil gravitati loci relictum est. Nunc quae perspicua invenit, obscura facit: nunc rursus quae tenebris involuta Deus esse voluit, dilucida & aperta esse fingit: utrumque ideo, ne materia cavillandi desit. Falsis multis & ineptis vera haud pauca & religioni sanctissimae honorifica admiscet, ut plerumque solent illi, qui eodem, quo ipse, in luto haerent. Iocatur ubique, sed nec honeste, nec liberaliter, iisque locis, quibus sibi maxime festivus & urbanus esse videtur, imperitus, immo ruris & inficetiarum plenus est. Faciamus, ne haec accusatorie & praeter ius & aequum dicta putentur, ipsaque probra, quae rebus Christianis aspersit, sine mora contemplabimur.

Primo capite naturam religionis Christianae generatim explicandam sibi sumit: verum nihil minus agit, quam id,

 quod

quod instituit. Si ea tollas, quae de CHRISTI adventu ad homines, de virgine MARIA, honoribusque a Romanis illi tributis, de aliis item rebus, quae pervulgata sunt, parum venuste disputat, tria restant convitia extra omnem modum absurda & frivola. Primum in ipso legitur limine. Vix dixerat, CHRISTUM a Deo ad homines missum esse, quum continuo adiicit: *Esse hunc aeque Regem, atque Deum, a quo legatus est: quale vero regnum illud sit, quod possideat, sibi minime liquere: nec enim rationem quaerendo investigare illud posse: nec fidem habendam esse nugatoribus, qui quod ipsimet nec viderunt, nec assequi ingenio possunt, dicendo tamen adumbrare tentent.* (*) Haec non considerati & honesti hominis sunt, sed scurrae rerum nostrarum prorsus ignari. Assumit id, quod falsum prorsus est, tradere nos, IESUM CHRISTUM diversum a paterno regnum gubernare. In subiecta loco huic adnotatione *de regno coelorum* verba sua esse capienda monet, cuius indolem nec ratio perspiciat, nec homines sine ratione pii declarare valeant. Sine dubio coelestem civitatem intelligit, in quam mentes sanctorum, corporis solutae vinculis, recipiuntur. Hac vero quis unquam Christianorum, nisi emotae fortasse mentis fuerit, Deum patrem exclusit? Hanc quis differre a regno, cui parens Servatoris praeest, vel dixit, vel scripsit? Videte, CIVES, qualibus cum ingeniis res hodie Christiana confligetur! Monstra primum ex semetipsis pariunt informia: haec deinde generoso animo, tamquam ex CHRISTI prodiissent schola, debellant. Sequitur alterum maledictum, nihilo superiori doctius.

CHE-

(*) p. 84. *Il m'a envoyé le Prince Codrus, son fils unique, Roi lui-même, mais d'un Royaume, dont je n'ai qu'une idee tres-sombre, parce que les Geographes que Rasoni* (raison) *me donne, ne voyagent pas si loin, & je ne suis pas homme à croire les visionaires qui fabriquent des Cartes dans leur Cabinet, sans souvent être sorties de leur patrie.*

CHRETINE, *seu religio Christiana*, inquit, *mulier est truci & agresti vultu: idque omnibus, qui animum diligentius advertere volunt, illico patebit.* Haec obsecro, unde nascitur deformitas? *Similis est hominum sine legibus & vitae cultu in India viventium: appetit carnem humanam, eamque avide devorat.* Interpretis indiget hoc aenigma: idcirco se de S. Coena haec intelligi velle, in ora paginae significat. (*) Bellam certe ac militis persona dignam conclusionem! Ferum aliquid, truculentum & crudele in religione inest Christiana; Nam qui eam sequuntur, in communionem veri corporis & sanguinis Servatoris sui, ratione licet mortalibus inexplicabili, quum volunt, veniunt. Nos quidem omnes, quibus mysterii huius fructus ex sacris libris noti sunt, mirifice recreamur & erigimur, quoties recordamur, cum ipso IESV CHRISTO nos arctissime coniungi: Illum si tam sanctae & divinae rei memoria terret & a sacris Christianis arcet, abeat & cum illis vivat, qui ad voluptatem corporis omnia referunt, Deoque sociari nolunt.

Tertia, quae hanc statim excipit, contumelia abesse omnem ab homine eruditionem, rerumque veterum cognitionem, testatum facit. *Stoici*, ait, *qui Deum quidem esse fatebantur, at fatali necessitati omnia subiiciebant, nascenti religioni Christianae multum auxilii tulerunt: verum divina* PAVLI *eloquentia genus hoc repressit.* (**) Fabulae!

(*) p. 91. *Aussi Misantrope que les Sauvages, elle cherche encore aujourdhui la chair de l'homme & elle la devore. Cela lui a donné l'air agreste & farouche qu'elle conserve, & que l'on distingue aisement, quand on risque de la regarder de prés.*

(**) p. 91. *Elle a tiré des grands secours de la famille des Soiciens Edistes* (Stoiciens, Deistes) *nés Sujets de Painée* (religio Pagana) *& admirateurs assidus du Chancelier Stiden:* (Destin) *mais ils ne pûrent resister à la vive Eloquence de Palu.* (S. PAVLVS) *Ils se devouerent à la Princesse dès qu'ils la virent naitre ou plûtôt ils contribuerent à la structure de son Individu.* Idem repetit *cap. II.*

lae! Vbinam est illa Stoicorum turba, quae doctrinam Christianam statim, quum publice traderetur, amplexa, & S. PAVLI eloquentia emendata est? Constat, Stoicorum ex familia nonnullos adversus PAVLVM Athenis vehementer disputasse: *Act. XVII. 18.* at multos ex porticu in Christiana castra tum transiisse, opeque ac consilio effecisse, ut amplificarentur, id mirabilibus Stoicorum sententiis, quae paradoxa dicebantur, mirabilius est. Multa noster homo in hortis EPICVRI fortassis inter pocula didicit, quae omnes rerum inter Christianos gestarum periti nesciunt. Suspicor, audivisse illum viros quosdam eruditos, quum quererentur, plerosque ex principibus Christianorum doctoribus nimio erga philosophiam Platonicam studio fuisse, eoque adduci sese passos esse, ut simplicitatem doctrinae Christianae vitiarent & cum dogmate Platonico imprudentes componerent. Quae quum memori excepisset animo, nec tamen Stoicos & Platonicos discrimine haud modico distare, cognitum haberet, litterarum videlicet omnium rudis & expers, ad Stoicos imperite transtulit, quae de Platonicis commode dicta erant. Est, scio, unus item & alter ex ordine doctorum Christianorum secundi a nato Servatore seculi, qui Stoicorum de re morali praeceptis plus iusto deditus fuisse fertur: quo iure, nunc non quaerimus. Verum haec nihil ad ista, quae diximus, nova commenta. Ne his quidem contentus est obtrectator Gallus; Vti Stoicis gloriam conditae civitatis Christianae tribuit, ita hanc sectam per quatuor priora saecula eam solam quoque conservasse, perhibet. *Stoicorum*, ait, *sanguine Cheretine nutrita & roborata est. Ex quo valde fit probabile, nisi Stoici quatuor primis saeculis fuissent, alimentorum inopia eam perituram fuisse.*

---

cap. II. p. 94. PALV (S. PAVLVS) *Ediste* (Deiste) *courageux, combattit pour elle & lui retablit la santé avec le sang des Soticiens.* (Stoiciens.)

esse. (*) Haec ad sanctos illos homines pertinent, qui summa quaevis, immo ipsam mortem, aequo animo perpeti, quam fidem CHRISTO datam violare maluerunt: *martyres* vulgo vocant. Hos Stoicis praeceptis adiutos & firmatos fuisse opinatur, ut malorum nihil pro veritate Christiana subire recusarent: horum constantiam & patientiam inter exquisitos cruciatus, ut novis indies copiis res Christiana augeretur, potissimum persecisse, censet. Illud totum est falsum & ineptum: Hoc ex parte tantum verum. Tantum fuit, quod omnes sciunt Historiae Christianae periti, Stoici moris & ingenii in plerisque eorum, qui mortem & supplicia divinae veritatis caussa olim oppetierunt, quantum in nostris hodie est aratoribus & fossoribus. Philosophi pauci, si cum reliquo agmine conferantur, Stoicorum germanorum forte nulli, sanguine suo rem Christianam illustrarunt: at incredibilis hominum illiteratorum ex omni genere, sexu & aetate multitudo, perennis felicitatis post hanc vitam impetrandae fiducia incensa, auxilioque divino adversus formidinem mortis corroborata, vitam & fortunas hilariter pro CHRISTO profudit. Stoicorum saeculo secundo coryphaeus, MARCVS ANTONINVS, Imperator, martyres Christianos, inter suos recipi posse, negavit, & vitiosae obstinationis insimulavit. (**) Noster hic quanto est sapientior? qui, repugnante & invito Stoicorum principe, omnes pro veris ZENONIS discipulis duci iubet. Fortunatam & gloriosam tot martyrum mortem tantum potuisse apud spectatorum haud paucos,

(*) p. 92. *C'est leur sang qu'elle cherissoit: elle s'en est nourrie, elle s'y est baignée, il l'a fortifiée. -- D'où l'on a conclu avec quelque probabilité, que si le Continent n'avoit pas eu des S'ticiens, on ne scait comment l'on auroit elevé Cheretine, pendant au moins les quatre premieres années* (haec verba ipse ita explicat: *Les quatre premiers siecles*) *de sa vie.*

(**) Libro XI. περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν §. III. p. 319. ed. Gatakeri.

CHRISTO ut alacriter nomen darent, non eſt, cur abnuamus: ſed hanc plus civitati Chriſtianae profuiſſe, quam reliqua omnia praeſidia, ne verum videatur, res ipſa vetat. Etiam ſine ſanguine, ſi Deo placuiſſet, ſuccreſcere illa potuiſſet, atque miraculorum copia, inſitaque divina virtute ſua hoſtium ſuorum conatus & conſilia facile fregiſſet.

Altero capite inſidias Servatori noſtro a Iudaeis ſtructas, mortem illius, excidiumque Hieroſolymae, poëtico illo ſermonis genere, quo librum exarare totum voluit, narrat. Maxima narrationis pars ſobria & veritati conſentanea videtur, ſi lumina orationis removeas: nec tamen impetrare potuit a ſe, quin ſtultiſſimam in conditores rei Chriſtianae iniuriam adderet. Hos nimirum aſtu & peſſimis artibus Iudaeorum, Chriſtianae veritati adverſantium, perniciem molitos eſſe, tamque impios & vecordes fuiſſe, perhibet, ut ex Iudaeorum malis ſua compararent commoda. Incitaſſe enim Romanos ſubdole in miſeram gentem, quumque ſeditionibus, bellis & caedibus omnia repleviſſent, ſecure de utriſque triumphaſſe. (*) Inſanit profecto infelix homo! Totum hoc, quod nullo teſte & auctore evomit, tam eſt incredibile, quam inſipiens & inauditum! Certos nos eſſe vult, manipulum hominum pauperum & undique oppreſſorum, quales Chriſtiani erant, in Iudaea, Hieroſolymis maxime, degentes, tanta calliditate ac potentia valuiſſe, ut Romanos in caput & fortunas Iudaeorum armarent, triſteque illud bellum, commodorum ſuorum cauſſa, in Iudaea

(*) Lege & mirare hominis amentiam *cap. II. p. 94. On convint donc d' attaquer en même tems les deux Rivales.* (id eſt, Deorum cultores plurium & Iudaeos) *Dans ces momens les reſſorts de la politique la plus étudiée ſe mirent en mouvement avec tout le ſucces poſſible. On irrita ſourdement l'ainée* (Romanos, qui ſuperſtitioni plurium Deorum dediti erant) *contre Iuvie:* (Iudaeos) *pendant leurs diviſions & leurs troubles, on fit ſur l' une & ſur l' autre des progrés immenſes & à pas de Geant l'on courut à la victoire.*

daea excitarent, ex quo Hierosolymae, totiusque populi Iudaici exitium natum est. Recitare has nugas idem est, quod refellere! Quisnam Historicorum dixit? Nemo. Quis vel suspicatus est? Nemo. Quodnam sceleris huius signum? Nullum. Vnde igitur tibi haec divinatio suborta? Animus suasit male rei Christianae cupiens. Te vero, perdite, divina iustitia cum ista improba mentiendi libidine numquam inultum, nisi supplex admissum facinus detesteris, abire patietur?

Tertium caput CODRVS inscripsit: hoc autem nomine, quod supra iam monuimus, sanctissimum Servatorem nostrum designat. Nec tamen de vita rebusque gestis eius exponit; sed de morte tantum eius & victoria de morte parta pauca male meditata, nec melius disposita ebullit. *Negat* in ipso exordio sine circuitione, IESVM *esse mortuum*; id fieri necesse erat, quo cum magistro suo, SPINOZA, negare posset, illum vitae restitutum esse. Quanam vero via & ratione morti sese is subduxerit, *id non esse temere prodendum, sed caute potius & reverenter occultandum*, adiicit. (*) Igitur nihil effluet eorum, quae cognovit. Sed paullo tamen post, promissi immemor, totum aperit negotium; misericordia forte commotus. Postquam scilicet dixerat, Basilidianos, qui saeculo secundo res novas inter Christianos moliti sunt, docuisse, non CHRISTVM in crucem fuisse actum, verum ex amicis eius aliquem, vultu & forma ipsi similem, volentem extremo affectum esse supplicio, applaudit huic sententiae, *sanamque rationem adseverat, prorsus eam approbare, tametsi religio Christiana credi hoc a suis nolit.* (**) Sequuntur illiberales

 qui-

(*) p. 96. *J'avoüe que cette circonstance est couverte de voiles épais: il entre dans tout cela du mistere & du silence, qu'il faut moins rompre, que respecter.*

(**) p. 97. *Vne des petites filles de Codrus (les Basilidiens) a soutenû* que

quidam loci, quibus Romana disciplina, non Christiana iugulatur. Ad extremum metuere nonnihil videtur, ne maiorem sibi licentia hac invidiam creaverit, quam ferre posset: itaque ad obsoletum illud & insidiosum carmen de fidei & rationis inimicitia, tamquam ad aram, confugit. *Molesta mihi est*, inquit, *ratio tam insolenter garriens: ego vero mulieris petulantiam haud feram, sed fidem advocabo, ut inverecundum os comprimat.* (*) Quae quid sibi velint, vix pueri, hac litterarum & eruditionis luce, ignorant. Longum nimis foret, si haec omnia sic, uti merentur, castigare vellemus: Pauca prudentibus sufficient. A ratione quae semet accepisse perhibet, ea certe ab ingenio profecta sunt depravato & Historiae IESV CHRISTI nescio. Vera ratio intelligit, Basilidianorum, quae nostro arridet opinatori, sententiam stultam, futilem, ea denique re tantum inventam esse, ut inops, quam profitebantur, philosophia cum religione Christiana sociari lege quadam posset. Scriptores vitae CHRISTI, quorum fides dudum supra omnem dubitationem collocata est, omnes uno narrant ore, ipsum in horto a militibus captum esse, IVDA discipulo eius magistrum, quo cum tot annos familiarissime vixerat, osculo demonstrante, ex horto vinctum ad CAIPHAE palatium deductum, ex palatio CAIPHAE ad praetorium PILATI, militari custodia septum, pertractum, ex praetorio, immensa multitudine comitante, ad crucem raptum esse. Haec si vera sunt; Et quis nisi mente captus vera esse neget? cedo viam, calumniator, qua ex manibus hostium elabi & supplicium, quod ipsi decretum erat, in alium

---

que quelque Patrocle zélé & ressemblant prit la place d'Achille: ce qui trompa toute la ville. - - - Rasoni est de ce sentiment-là, quoique Cheretine elle-même la démente.

(*) p. 98. *Mais je ne donne plus tant de licence a Rasoni quand elle s'echappe de la sorte, Osi* (foi) *lui donne sur les doigts & nous lui faissons baisser la vue.*

alium ex amicis devolvere potuerit? Basilidiani, ceterique, quibus idem placuit, nodum hunc, quem solvere non poterant, ense secabant. Praepotentem nimirum Numinis voluntatem in auxilium, tamquam in re desperata, vocabant, Deumque, nube oculis Romanorum & Iudaeorum, insigni miraculo, obducta, alium in CHRISTI locum, quum mors immineret, subfici curasse dicebant. Hoc vero tibi perfugium occlusum est, qui nihil praeter naturam fieri posse, putas, miraculis omnibus infestum te ostendis, immo amicorum CHRISTI aliquem caput suum sponte devovisse, censes. Quid agas cum hominibus, qui adeo in semetipsos iniqui sunt, ut res ab omni veri specie remotissimas stulte amplecti malint, quam certissima recipere, si animi sui propensionibus adversentur?

Quarti capitis index pollicetur narrationem *de superstitionibus*, *Deorumque religionibus* veritatis Christianae virtute in fugam actis; sed fallit lectores cupidos. Id enim potius phalerata oratione docet, infinitam adhuc superesse in orientis partibus hominum vim, qui solem Dei loco colant & revereantur. Atque hoc loco, quod saepissime solet, acerba contumelia Iesuitas obruit, quos narrat superstitionis inter populos, ad quos Christianae religionis propagandae caussa mittuntur, patrocinio fungi, nec tam solis cultum extinctum, quam confirmatum, proficisci, eo quod publice tradant, solem unum esse Deum illum, quem venerari homines deceat. (*) His quid respondendum sit, Iesuitae curent.

Quintum caput inscriptum est: *Magnitudo Cheretines*, id est, *religionis Christianae*, & binis constat partibus: quarum altera caussas aperire conatur, quibus evenit, ut brevi temporis spatio tam late diffunderetur, altera mala recenset, quae rem Christianam ab eo tempore affligere coeperunt,

(*) p. 100. *Ils persuadent effrontement que Loseli* (Soleil) *est l'Empereur lui-méme, ou que l'Empereur est Loseli.*

perunt, quo ex prima paupertate sua emersit, divitiisque & opibus aucta est. In posteriore, si ab ampullis & intolerandis dictionis figuris abeas, pauca sunt, quae reprehendi iure possint. Nam quis vel mediocriter institutus ignorat, bonos omnes conquestos dudum esse, superbiam & luxum ad antistites Christianos divertisse, religionisque simplicitatem & maiestatem cerimoniis superstitiosis & puerilibus, profanisque institutis, plane deformatam esse, simulatque liberis & opulentis esse Christianis licuit? Sed haec tamen omnia, quae veritati congruunt, non amor ipsi dictavit purae & castae religionis, sed odium in Pontificem Romanum, quod non modo non dissimulat, verum etiam aperte ubique profitetur. Idque ex superiori parte capitis satis elucet, qua humanis & naturalibus caussis, non divinis, celerrimos illos religionis Christianae progressus tribuit. Propterea, si huic auscultes, tam subito animis sese hominum insinuavit, quod ad omnis generis & ordinis hominum ingenia, captus & mores scite sese curatores eius accommodare nossent. Quod qua ratione factum sit, per partes explicat. (*) Primum qui unum esse Deum, credebant, fictisque gentium Numinibus supplicare nefas ducebant, ideo ad disciplinam Christianam convolabant, quod intelligerent, praecipua iuris & legis naturae praecepta in ea sancte servari, nec servari modo, sed etiam *fidei* splendido colore ornari. (**) Inter Iudaeos deinde qui loco quodam & numero erant, in eius sese fidem sponte committebant, quia ex MOSIS libris, quae ceteris praestabant, Christiani doctores ad CHRISTVM sollerter transferebant, ceterisque cum dogmatibus suis artificiose copulabant. Nec MOSEN

(*) p. 101. *La Politique de la Princesse* Cheretine *la portoit a flatter tout le monde, non dans le dereglement, -- mais dans les idées de probité.*

(**) l. c. *Elle leur ajouta un vernis, que la Nymphe* Ofi (foi) *lui préta.*

MOSEN tantum compilabant iidem, verum etiam a philosophis sumebant, quae rebus suis conducere posse, sperabant, a Stoicis maxime, quorum magnifica de patientia & impavido in rebus adversis animo decreta, sua faciebant. (*) Atque hoc institutum sapientiores quosvis ex illis, qui plura colebant Numina, alliciebat. Rudis populus amore & benevolentia Christianorum erga miseros & inopes potissimum commovebatur, ut tam benefico hominum generi sese adiungeret. Magistratus religionem auctoritati suae & tranquillitati publicae utilissimam, exortam esse, gaudebant, quae a rixis, iurgiis & privata vindicta homines abstraheret, mandatisque imperantium, iniustis licet & perniciosis, lubenti animo obtemperandum esse, decerneret. Milites certatim ad Christianos accurrebant, quum acciperent, crucis signo ad victoriam consequendam, hostiumque tela quaevis depellenda, nihil esse potentius. (**) Vno verbo, ideo tot hominibus tam subito placuit Christiana religio, quoniam haec omnibus ut placeret, studiosissime contendit. Deus nihil ad eius incrementa contulit: cuncta hominum consiliis & prudentia gesta sunt. Hic utrum scriptoris malitiam & improbitatem, an inscitiam mirari magis conveniat, vix apud me constituo. Hoc expeditum est, neminem umquam eorum, qui caussas eventorum indagare conati sunt, infelicius hariolatum esse. Primum non secus rem instituit, acsi CHRISTVS, eiusque legati, moralem quamdam disciplinam unice attulissent, praeceptaque praeterea sua de officiis tam providenter temperassent & adornassent, omnium ut generum & ordinum homi-

---

(*) p. 102. *Les Sotiiciens* (Stoiciens) *ces Philosophes renommés, lui apprirent la patience & à ne se pas effrayer quand les voutes du ciel tomberoient par morceaux.*

(**) p. 103. *L'homme de guerre la sollicitoit, parce qu'elle donnoit un Talisman (le signe de la croix) qui rendoit invulnerable & superieur à tous les ennemis.*

homines non possent non capere & ad se attrahere. Vtrumque autem hoc plane falsum & a vero remotum est. Non vitam, sed animum ante omnia rite informare studebant coelestis veritatis nuntii, omnemque institutionem suam a necessitate CHRISTVM, eumque cruci pro peccatis nostris affixum, stabili fiducia complectendi inchoabant. *Crede*, inquit PAVLVS, quaesitus, quid facto opus esset homini, aeternam salutem appetenti, *crede in Dominum Iesum & salvus eris. Actor. XVI.31.* add. *1.Cor. II.2. 2.Cor. V.20.21. Actor. II.36.* Hanc salutarem qui, Deo adiuvante, mentibus conceperant fiduciam, illi demum, ne quid committerent divini Servatoris doctrina & exemplo indignum, monebantur, vitaeque sanctae praeceptis imbuebantur. Atque haec ipsa praecepta in se adeo ingrata, dura & humanae naturae inimica erant, ut a nullis aequo animo recipi possent, nisi ab illis, qui omnia in IESV, eiusque meritis sita sibi esse, nil dubitabant, Spiritusque Sancti virtute opiniones aeque, ac propensiones, hominibus penitus insitas superaverant. Ecquid enim terribilius & gravius praecipi nobis potest, quam id, quod IESVS a suis flagitabat: Nuntium rebus omnibus humanis, ipsi etiam innato vitae amori, remittere debere, quotquot discipulorum suorum in numero esse vellent? *Matth. XVI. 24. 25.* Quam haec distant, obsecro, ab illis, quae noster homo sibi finxit? Reliqua, quae his, tamquam fundamentis, ab eo committuntur, quid multis reprehendam? Possunt id illi etiam ex nostris, qui pauca ceteroquin possunt. Omnia enim per ea tolluntur & negantur, quae tam certo contigisse novimus, atque illa, quae ipsimet vidimus & sensimus. Honestissimi quique Iudaeorum dicuntur CHRISTO nomen dedisse. (*) Quis vero nescit, maximam gentis huius partem, eosque prae ceteris, qui gratia, eruditione ac opibus valebant, nihil

(*) p. 102. *Tous les honnêtes gens du parti de Iuvie* (religio Iudaica) *accoururent a ses genoux.*

nihil constantius & vehementius olim egisse, quam ut CHRISTVM, eiusque discipulos exosos omnibus redderent & magistratibus persuaderent, his salvis, rem publicam nullo modo salvam esse posse? Ex philosophorum scriptis rem suam primi doctrinae Christianae praecones locupletasse, traduntur. Et PAVLVM tamen novimus, suos monuisse, ne operam Philosophis darent, *Col. II. 8.* ipsosque Philosophos per sex priora saecula omnes intendisse ingenii nervos, ut Christianos opprimerent. Ex porticu, seu ex Stoicorum scholis, sumsisse doctores Christianos, perhibet, quae de patientia, rebusque adversis fortiter ferendis praeceperunt. Hoc scilicet credibile est, piscatores & publicanos, in Iudaea natos & educatos, Stoicis magistris usos esse! Taceo, tantum inter Stoicam & Christianam fortitudinem discriminis esse, quantum inter coelum & inferos. Reges, provinciarum praesides & magistratus bene religioni Christianae voluisse significat, quod intelligerent, turbis, contentionibus & seditionibus eam obsistere. Facete! Credamus, haec si vera sunt, necesse est, tot severas in Christianos leges, tot acerba Imperatorum & Praesidum edicta, ex alio quodam orbe in hunc nostrum, malo fato, delata esse. Milites, quo sub umbra crucis tuti ac incolumes pugnare possent, magno numero ad Christianos confugerunt. Infaustum certe somnium! Sciunt tirones nostri, plerosque veterum Christianorum ab omni laude bellica aversos fuisse, modicamque, immo nullam fere, salutis spem illis, qui castra sequerentur, reliquisse. Et quis tandem Christianorum antiquiorum ita demens & superstitione inquinatus fuit, ut crucis signum praesens contra vulnera remedium esse, decerneret? Piget diutius cum his nugis confligere, quae homini sui compoti excidere nullo modo potuerunt.

Sextum caput *de amicis Christianae religionis* inscriptum est. Isto nomine sacrorum ministros seu eos, quibus

cura & tutela religionis concredita est, designat. Et duplicis hi rursus, ex sententia eius, sunt generis. Habet CHRISTVS amicos primi ordinis: Hi sunt illi, qui *Sancti* nominantur, statuisque, diebus festis, religiosoque cultu publice honestantur. Habet idem amicos secundarios: Hi sunt omnes illi, qui munere quodam sacro funguntur. De utrisque petulanter admodum & inficete differit: sed pleraque Romanum potius Pontificem pungunt, quam eos, qui sinceram religionem, quae divinis continetur libris, probant. Ille igitur cum suis viderit, quemadmodum extricet, quae de superstitiosa sanctorum veneratione, de stultis in sanctorum numerum cooptatis, de fastu, arrogantia & iniquitate sacerdotum, de plebis in coetu Romano neglectione, similibusque rebus, parum quidem splendide ac graviter, at heu! vere, memorat. Inter haec amplissimum pro rebus eorum testimonium legitur, quos veritatis studium adduxit, ut a communione Romana secederent; quos cum aliis nominibus, tum eo potissimum laudat, quod aequo iure sacrum ordinem & reliquos homines esse velint, sanguinemque CHRISTI omnibus ad sacram coenam accedentibus exhibeant. (*) Haec nos commendatio non placabit homini. Dedecus est, a decoctore laudari: nec caussa nostra malae fidei patronis indiget.

Quae sequuntur bina capita *filias Christianae religionis* recensent. Millies peperit foecundissima haec mater & numerosissimam idcirco familiam alit: verum hanc aliis noster

(*) *cap. VI. p. 112.* Hic inter alia S. PAVLVM iterum a nostris partibus stare, diserte fatetur: sed ludicrum prorsus est, quod adhibet dictionis genus, tantaeque rei parum conveniens: *Palu prodigue le Jus divin a tout le monde: defendant simplement tout exces: Buvez, mes amis, buvez tous. Mais, ne dormez pas: ne vous enivrez pas.* Postrema verba quonam sensu dicta sint, haud proclive intellectu est: nec necesse est, ut nos tenebras has dispellere conemur.

ter distribute enarrandam relinquit. (*) Ipse binas tantum filiarum classes ex immenso agmine deligit, de quibus iudicet. Altera Monachorum constat ordinibus: alteram sectae, factiones & haereses, conficiunt, quae Christianae civitatis pacem ad haec usque tempora turbarunt. Vtrique generi quanta rursus, quamque varia multitudo subiecta sit, nullus est, quem fugiat: sed brevitate placere noster cupit. Itaque ex omnibus Monachorum familiis tres tantum in ius vocat, Benedictinos, Franciscanos & Iesuitas. In Benedictinos satis mitem pronuntiat sententiam. Hos a summo & praeclaro viro profectos, hos supremo Numini coniunctos esse, hos nulla re alia peccare, quam nimia severitate, scisit. Longe durius Franciscanos excipit. Si de parente quaeras nationis, stipes is est ac ridiculus: si de domiciliis, odorem illa spirare dicit haud suaviorem, quam ursorum & caprarum stabula: si de ipsis hominibus, latronum eos Arabicorum non dissimiles esse, audies, qui viatores in locis desertis aggrediuntur. In Iesuitas, quos ubique vexat, hoc loco prorsus saevit: nec enim maximorum tantum vitiorum eos arguit, verum etiam nefandorum criminum suspicione onerat. Sectas, factionesque minores, ex quibus alteram filiarum Christianae religionis classem conflatam esse dicit, nihilo remissius invadit. Actum erit de omnibus, hic si iudex aliquando sedebit. Aut catenis vinctae in obscurum carcerem detrudentur, aut in ultimam terrarum Thulen deportabuntur, ne sanis & sobriis furore suo noceant: (**) id enim nondum factum esse, dolet. Bene est, quod

(*) c. VII. p. 113. *Cheretine s' est plongée dans des amours illegitimes, ou bizarres, meme honteuses, & ces amours ont produit une famille, dont je me garderai bien de faire l' Histoire en detail.*

(**) c. VIII. p. 119. *L' expression est forte: mais elle ne dit rien de trop, & cela à la honte de la Cheretine, qui devroit les charger de chaines, ou les envoyer a la peuplade de Terre-Neuve.*

quod capiti miſerorum parcit, nec flammis errores expiari vult: alioquin metueremus, ne ſub philoſophi pallio venerabilis aliquis ex *Inquiſitorum* Senatu magiſter lateret. Quamquam qua ratione lex haec in ſectas ſancita ſpectanda ſit, non ſatis evidens eſt, quum incertum eſſe voluerit, quaenam hominum genera hoc ſub vocabulo comprehendat. Hoc quidem perſpicuum, nomen *haereſis* ſeu *ſecta* alio longe ſenſu ab ipſo uſurpari, quam vulgo adhibetur. Namque degenerum harum filiarum religionis Chriſtianae principem & deterrimam Mahumedanam eſſe factionem tradit, quam nemo quidem adhuc inter ſectas ex Chriſtiana diſciplina procreatas retulit. (*) Si tantum eſſet bellatori noſtro virium & opum, quantum virtutis & animi, Conſtantinopolin brevi expugnatam, Turcas ferro & igne deletos, religionem, quam MAHOMEDES invenit, funditus extirpatam videremus. Vt enim ab omnibus abhorreat religionibus, hanc tamen ut exitioſiſſimam peſtem execratur, quippe qua nullam peiorem, nullam crudeliorem, nullam iniquiorem, nullam legi naturae, humanaeque libertati magis repugnantem poſt hominum memoriam propoſitam fuiſſe, cenſet. (**) Quapropter moleſtiſſime fert, quieſcere Chriſtianos, nec expeditionem in gentem tam deteſtabili lue infectam dudum moliri. Mirabuntur aſperam hanc ſententiam illi, qui praecipua religionis naturalis capita diligenter a MAHOMEDE inculcata eſſe, arbitrantur: & viris ingenio & doctrina maximis ita videri, notum eſt. Sed hos recordari decet, antequam aliquid in hominem ſtatuant, non idem ipſi ius naturae eſſe, quod nobis, nec lege naturae vivere,

(*) cap. VIII. p. 120. *De toutes ces vierges folles, je ne veux pas nommer que la ſeule Hamomatene* (Mahometane) *l'Amazone la plus formidable.*

(**) l. c. *Hamomatene eſt de toutes les Religines la plus ſanguinaire, la plus iniuſte, qui connoit le moins la beauté de Nutarelle-Oli* (Loi Naturelle) *& la prudence de Raſoni.*

vere, aliud ipsi esse, quam id agere, quod sua quemvis libido docet. Nos haec facile ferremus, nisi, dum MAHOMEDIS dogmata insectatur, horribili calumnia MOSIS auctoritatem & famam infuscaret. Turcarum nimirum vatem cum divino hocce viro scelerate confert, MAHOMEDEMque leges rogasse ipsis Mosaicis praeceptis magis tyrannicas, decernit. (*) Adhuc nemo unus, ne ex illis quidem, qui sua voluntate, non Dei nutu, MOSEN gessisse omnia volunt, inventus est, quin leges ab ipso latas sapientissimas, populoque Hebraeorum utilissimas fuisse, fateretur. Nunc procax repente philosophus surgit, qui ex viro sanctissimo, tyrannum, publicaeque libertatis & salutis oppressorem facere audet. Ille scilicet, quantus quantus, nil nisi sapientia est: reliqui umbrae & somnia.

Restant duo capita, quorum altero coelum, quod veris CHRISTI discipulis post fata promissum est, absurdo risu cavillatur, altero maiestatem & gloriam Spiritus Sancti adoritur. Quae de coelo beatorum disputat, dissoluta plane sunt, nec firmi & robusti ingenii hominem, ostendunt, qui consequentia cum praecedentibus apte connectere sciat, nec a semetipso ulla re descilcat, verum pugilem inexercitatum, qui solem & pulverem nondum ferre didicit. Iudicent, qui iudicandi quadam dexteritate valent, ex illis, quae afferemus. Orationis exordium hoc est: *Deus olim amplissimam urbem condidit ad recipiendas decedentes de corporibus sanctorum animas: hanc vero* IESVS CHRISTVS *& magnifice dilatavit & multis modis immutavit. Vetus illa civitas dicta fuit Paradisus: nova, seu potius a* CHRISTO *instaurata, nova dicitur Hierosolyma.* (**) Addit statim,

(*) l. c. *L'emportée Chari la conduit seule: elle a encheri sur la tyrannie d'Omise* (Moise) *& elle a mis Bertile hors d'etat de se aider de rien.*

(**) cap. IX. p. 121. Totum caput inscribitur: *Pradisa* id est, Paradisus.

tim, nihil esse, cur hoc aliquis miretur. Omnibus enim Regibus in more id esse positum, ut construendis castellis, palatiis & urbibus nominis sui memoriam ad posteros propagare studeant, hancque Regum consuetudinem homines longe inferiores, si fortunati ac copiosi sint, imitari pro viribus solere. Venenata haec tela sunt: sed facile frangentur. Hoc flagitiosus homo significare vult, Servatorem nostrum multa de felicissima beatarum mentium vita dixisse antea incognita & inaudita, idque commune ipsi esse cum omnibus novarum religionum conditoribus, qui populum pollicitationibus eiusmodi capere & titillare soleant. Atqui omnes sciunt, quibus novi foederis libri lecti sunt, perpauca sanctissimum Servatorem de natura perennis illius felicitatis, quam pii expectant, praecepisse, nec multo plura familiares eius, quorum scriptis divino beneficio utimur. Viam scilicet, quae ad salutem aeternam ducit, luculenter & explanate Deus designari voluit: ipsam salutis indolem & rationem universe tantum indicavit. Atque hoc haud dubie sapienter & cum aliis de caussis, tum eo consilio factum est, ne quis id tentaret, quod nebulo hic impie tentat, nec IESVM CHRISTVM perhiberet, fraudulentis illis novarum sectarum ducibus similem fuisse, qui splendidas coeli imagines, hominumque desideriis & cupiditatibus respondentes, tamquam recentes e Deorum concilio demissi essent, credulae plebi proponunt, quo turbam sibi citius colligant. Nolo acrius hominem premere, nec, unde istud acceperit, quod pro explorato habet, quaerere, IESVM plura de futurae vitae gaudiis tradidisse, quam ipse Deus antea de illis tradiderit: nam indigni sunt, quibus cum diu confligas, eiusmodi nugatores. Percurremus potius reliqua portenta breviter. A

radisus. *L'Empereur*, sic incipit, *à bati jadis une grande ville, que l'on a d'abord nommée Pradisa: mais les changemens & les augmentations modernes dont Codrus l'a enrichie depuis peu, font qu'on appelle presentement Rejumasel* (Ierusalem) *la neuve.*

A coelo Christianorum ad campos Elysios delabitur; quos veterum Graecorum & Romanorum poëtae canunt. Hinc recta via ad MOSEN pergit, quem nihil fere de immortalitate animorum, nihil de perenni quodam virorum virtute praestantium domicilio memorasse, tradit: incertum vero relinquit, pro insigni, qua valet, modestia, utrum ideo hoc dogma dimiserit MOSES, quod ipsemet vitam omnem hominis corporis vita terminari duceret, an propterea, quod Hebraei praeter huius vitae delicias, nihil magnum appeterent. (*) A MOSE ad MAHOMEDEM properat, cuius *Paradisum* nec laudat, nec vituperat, at figuris poëticis artificiose illuminat. Postremo rationis suae oraculum consulit. Illa quidem graviter primum respondet, sperandam esse omnino probis & sapientibus, ubi corporis sese vinculis expediverint, beatam quamdam & perennem vitam: (**) deinde vero lugubrem lamentationem recitat de religionum arrogantia & iniquitate, quae singulae coelum sibi solis vindicent, sororibus suis procul amandatis, quum tamen omni homini probo & virtutis studioso, quamcumque demum sectam complexus sit, fores eius pateant. (***) Vox haec certe inopinata est, nec reliquis rationis, cui secundas in fabula sua partes dedit, scitis conveniens. Sed cogitemus, foeminam hanc esse rationem; quod genus varium semper & mutabile esse, poëta dudum cecinit. Plus est constantiae & roboris in marito eius, philosopho nostro,

(*) p. 122. *Soit qu' Omise* (Moise) *regardât le plan de cette ville, comme une chimere amusante - - soit que les Sujets de Iuvie* (id est, Iudaei) *aimassent mieux vivre long-tems dans leur patrie, sans songer à se depaiser.*

(**) p. 123 *Rasoni veut qu' il y ait un Pradisa tres-ancien, d' où elle m' affirme qu' elle est venue avec Ema* (Anima) *& où elles retourneront avec moi.*

(***) p. 124. 125. *La vertu seule acquiert ce droit, de quelque Religine que l' on soit adorateur.*

ſtro, qui, totus licet amore uxoris ceteroquin ardeat, libere tamen paullo poſt profitetur, neſcire ſe prorſus, unde haec ſpes rationis & animae ſuae de futurae cuiusdam felicitatis haereditate orta ſit: nec deeſſe viros magna praeditos ſapientia, qui animam una cum corpore perituram eſſe, vaticinentur. (*) His quod opponat, nihil in promtu ipſi eſt: ſed natura tamen fremit, audito hoc reſponſo. Itaque intus ſibi canere iubet importunos iſtos divinos, honeſtiusque fore cenſet, ſi cum ratione erret, quam ſi cum iſtis ſapiat. (**) Haec quorſum ſpectet oratio, quum ſatis evidens ſit, explicare nolumus. Nec ea placet afferre, quae de ſtatu eorum, qui novam poſt fata vitam inchoabunt, & de extremo iudicio praepoſtere ac confuſe philoſophatur. Nihil eſt in illis certum & ſtabile: nihil quod ſuperioribus reſpondeat. Mox huc fertur, mox in adverſam partem ruit, nec decernit aliquid, ſed proprie decerni de his rebus nihil poſſe, ſignificat. Quis ita otio abundat, ut incerta volubilis eiusmodi opinatoris veſtigia perſequi velit?

Poſtremum caput, quo *de Spiritu Sancto* exponit, (***) in exagitandis aulae Romanae ſententiis de conciliorum decretis a Spiritu S. dictatis, de Spiritu S. Pontificum electiones gubernante & de librorum ſacrorum lectione nullis concedenda, niſi ſacri ordinis viris, maximam partem conſumitur. Hos ſales, antiquis Atticis multo ſalſiores, ſi posſint, Romani Pontificis paraſiti concoquant: Eſt hic certe, quod

(*) p. 125. 126. *Je ſcai auſſi peu ſur quoi Ema* (Ame) *fonde le droit de s' inſtaller a Pradiſa. J' ai même entendu ces Devins qui ſoutiennent que le Theme Aſtronomique d' Ema porte evidemment qu' elle mourra ſous les ruines de mon palais.* (Palatium hoc corpus eſt.)

(**) *J' aime bien mieux me flatter avec Ema, quand elle mentiroit, & j' ai defendu que l' on nous detrompat, en publiant la Centurie des Aſtrologues.*

(***) Index eius eſt: *Sanit Perits*, id eſt, poſitu litterarum paullulum mutato, *Saint Eſprit.*

quod videant & agant. . si rem heri sui salvam esse velint. Nos ea tantum propulsabimus, quae universam rem Christianam contingunt. Dogma igitur de Spiritu S. eiusque beneficiis, quod cum plerisque Christianorum familiis commune habemus, universe triplici afficit graviori iniuria: minores enim, quum sensu & ratione careant, intactas abire sinemus. Primum ex rebus illud repugnantibus conflatum esse, maligne significat; Affirmare enim Christianos, Spiritum S. CHRISTI, Servatoris nostri, *filium simul & fratrem esse*, quod quidem intelligi a nemine possit (*) ratione utenti. Adiicit deinde, si vel haec mitigari, immo tolli posset difficultas, fabulis tamen illud, quas OVIDIUS, ceterique Graecorum & Romanorum poëtae referunt, simile videri, nec idcirco homini recte ad iudicandum instituto, probari posse. (**) In quo haud aliter exclamat, acsi mente incitatus esset. Postremo incerta esse cuncta, quae de Spiritu S. feruntur, contendit, quod omnes Christianorum sectae illum ad se divertisse pugnacissime disputent, quum tamen aeque rarus sit, atque Phoenix ille veterum, nec

 usque

(*) cap. X. p. 129. *Ce qui devoit le plus affermir Cheretine après la retraite precipitée de Codrus, ce fut l' auguste present qu' elle recût de la generosité de l' Empereur, pour le gage assuré de sa tendresse paternelle, un Oiseau nomme Sanit Perits, frere & fils de Codrus.* Quod Spiritum S. *avem* vocat, id, non secus ac reliqua, contumeliosum est. Sed, multis ille verbis hanc levitatem excusat, ideoque hanc sibi imaginem placuisse tradit, quod Spiritus S. columbae formam induisse in sacris tabulis legitur, pictoresque ac sculptores ita illum depingere solent. Faciles nos haec defensio inveniret, nisi tot aliis constaret argumentis, nihil sapiens & moderatum ab eo expectari posse.

(**) p. 129. *Rasoni se perd encore ici. Elle me demande en riant si Cheretine croit rendre l' Empereur respectable, en lui pretant des absurdités: si la Dame rêve aussi profondement, que faisoit Painée. Et à ce propos les Metamorphoses les plus extravagantes - - lui viennent a la pensée.*

usquam vestigium eius appareat. (*) Adeone quemquam insanire, ut quae nec intelligit, nec umquam fortassis intelligere voluit, calumniando pervertere studeat! Quod primo loco ab homine maledico positum est, id nostro dogmati nihil obest, at imperitum esse ipsum praeceptorum Christianae religionis declarat. Docemus nos, quum ita nos docere iubeant libri divini, IESVM, Servatorem nostrum, ex patre ab infinito tempore genitum esse, Spiritumque Sanctum ex utroque procedere. Hoc illud est, quod adeo male habet hominem, ut ineptissime scribat, adseverare nos id, quod communis hominum sensus repudiat, Spiritum S. esse fratrem simul & filium IESV CHRISTI. Nos vero, nec generationis, nec processus rationem, quia divina sapientia eam involutam esse nobis voluit, evolvere audemus, nec idem esse generare, quod procedere, dicimus, tametsi quonam modo duo hi actus divini inter se differant, incognitum nobis esse, profiteamur. Alterum horum si a nobis fieret, rima quaedam aperta foret, per quam ista, quam diximus, contumelia ad nos pervadere posset. Nunc quum scientiae suae modestiam adiungant veri omnes Christiani, qui sacras litteras unice audiunt, neque plus de rebus eiusmodi supra ingenium mortalium positis scire velint, quam scire possunt, iniquissime & prorsus inscienter res tota natura disiunctas coniungere dicimur.

Alte-

(*) p. 135. *L' on ne scait bientôt plus ce qu' est devenu Perits: on le cherche. Quelque injurieux que soit ce soupçon, il est fondé. C' est que toutes les filles de la Cheretine veulent qu' il soit chez elles, cet Oiseaux prodigieux, comme si le Phenix etoit aussi facile à trouver, que les Sereins & les Perroquets. Voila ce qui me trouble l' imagination, parce que, si j' ai a me declarer, je veux l' Oiseau.*

Alterum, quod affert, nefarius divinae veritatis irrisor, generatim tantum, nec satis explicate propositum est: quare haud constituere licet, quanam in re sitam esse velit convenientiam illam dogmatis nostri de Spiritu S. cum veterum populorum fabulis. Sed ex eo tamen, quod *Metamorphoses* commemorat antiquorum, coniecturam capere licet veri simillimam, unde capitalis haec contumelia nata sit. Id scilicet peracuta hominis ratio aversatur, quod, Spiritum S. forma & specie columbae videndum sese aliquando praebuisse, memoriae a divinis scriptoribus proditum legitur. Dissipata igitur haec tota esset accusatio, si diceremus, quod interpretes quosdam non infimi nominis dixisse notum est, verba sacri scriptoris: ὡσεὶ περιστερὰν, *Matth. III. 16.* non de figura columbina, sed de modo, quo Spiritus S. in Servatorem sanctissimum descendit, accipienda esse, nec aliud, quam hoc, Historicum divinum significare voluisse, Spiritum S. ita leniter & placide ad IESVM CHRISTVM sese demisisse, ut columbae solent. Verum hoc quum nos praesidio S. LVCAS uti nolit, qui diserte πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, *Luc. III. 22. Corporea forma* visum esse, refert, alia via Thraso hic aggrediendus erit: neque longius ea nobis quaerenda est. Multum rei Christianae intererat, id quod perspicuum est, eos, qui spectatores aderant, quum IESVS noster aqua Iordani a IOANNE initiari vellet, oculis, auribusque maiestatem eius, gloriam & consecrationem percipere, ne qua dubitatio mentes eorum subiret, validissimumque apud reliquos, qui aberant, testimonium dicere possent. Itaque necesse erat, ut pater praesentiam & amorem suum erga filium signo quodam in sensus incurrente, testaretur, Spiritus item Sanctus speciem quamdam in oculos influentem & animatam adsciseeret, unde cum discrimen eius a patre, tum coniunctio cum IESV CHRISTO, in quo divina & humana natura in unam personam coaluerat, commode cognosci

 posset.

poſſet. Atqui huic inſtituto nullius animalis forma magis erat accommodata, quam volucris illius, a qua dudum Iudaei cum vicinis populis exemplum & imaginem multarum virtutum, maxime ſimplicitatis, manſuetudinis, lenitatis, caſtitatis, temperantiae, & amoris petere conſueverant. (*) In hoc quidnam, quaeſo, abſurdi eſt? quidnam quod Deum, eiusque ſapientiam minus deceat? Verum amentiſſimus homo, ne deeſſet, quod conſpuaret, ſententiam nobis tribuit, quae ſano inter Chriſtianos nemini in mentem venit. Fingit enim, perſuaſum nobis eſſe, ſanctiſſimum Spiritum in columbam ita converſum eſſe, uti Coronis in cornicem, Nyctimene in noctuam, Pierides in picas, apud OVIDIUM mutatae leguntur. Tam verum eſt id, quod ſupra iam indicavimus: Qui Chriſtianam religionem in contemtionem adducere volunt, illi nihil agent, niſi ante omnia naturalem eius pulchritudinem corrumpant, aut foediſſimum ſpectrum in eius locum ſubſtituant. Nos adeo ab opinione, quam oppugnat ille, abſumus, ut ne rationem quidem illius viſi, cuius hic res agitur, enodare audeamus. Id unum, quod notum nobis eſſe Deus voluit, tenemus, Spiritum S., quo videri poſſet, columbae, avis mundae, multisque modis laudatae, figuram adoptaſſe.

Captioſa, quam extremo loco ponit, interrogatio: ubinam ſit Spiritus Sanctus, quum omnes eum Chriſtianorum familiae ſibi ſolis arrogent? difficulter quidem ab illis diſſolvetur, qui Spiritum S. extra Scripturam S. quaerunt & neſcio quae oracula in certorum hominum animis ab ipſo fundi, confirmant, quod praeter Pontificios, nonnulli faciunt alii: nobis eadem parum exhibebit negotii. Paucis igitur verbis locus, qui latiſſimus videtur, concludetur. Nulla Chriſtianorum ſecta, quae libris illis integris & inviolatis

(*) Lege SAM. BOCHARTI *Hierozoicon Part. II. Lib. I. cap. IV. p. 19. ed. Leusdenii*, & interpretes *ad Matth. X. 16.*

latis utitur, quos a Deo profectos eſſe certo novimus, Spiritu S. caret. Cum his libris vis illa Spiritus S. coniuncta eſt, quam divina clementia largita nobis eſt. In his Spiritus S. loquitur, iudicat, reſpondet. Hos qui legunt & conſulunt, Spiritum S. audiunt. Hos qui puro & ſereno animo ſcrutantur, nec ſecus intelligunt, quam ex praeſcripto bonae mentis intelligi debent, quaeque intellexerunt non repugnantes excipiunt & apud ſe recondunt, illi virtutem Spiritus S., mali omnis victricem, ubicumque locorum verſentur, adeſſe ſibi ſentient. Atqui, obducet fortaſſis, multorum dictorum Spiritus S. in ſacris libris loquentis tot ſunt interpretationes, quot ſectae Chriſtianorum. Scimus. Quis vero prudens hinc effecerit, incertum eſſe, ubi habitet Spiritus Sanctus, quia effatis eius quibusdam non eadem ab omnibus poteſtas ſubiicitur? Redite in ignem, ex quo lu[illegible] ſordida cupido vos eripuit,

Infelicibus uſtulandi lignis
Pleni ruris & inficetiarum
Annales Voluſi, cacata charta. (*)

(*) CATVLLVS *Carmin. XXXIV.* Placet hic adſcribere, quae ex epiſtola Lutetiae Pariſ. ſuperiori anno data leguntur in notiſſimis Ephemeridibus rerum eruditarum, quae *Hagae-Comitis* prodeunt, *Iournal litteraire de l' année 1735. Tom. XXII. P. II. p. 471. 472. Crebillon Auteur du Conte de l' Ecumoir ſous le Titre de* Tanzai & Neadarné, Hiſtoire Iaponoiſe, *a eté mis a la Baſtille par rapport a cet ouvrage. - - Il doit être condamné au feu aujourdhui ou demain par arrêt du Parlement avec le Livre des* Princeſſes Malabares, *qui dans un autre genre eſt encore plus pernicieux, puisqu' on y preche le Deisme & l' indifference en fait de religion. Ces deux livres ſont extrêmement courus & rencheris, à cauſe que le debit en eſt rigoureuſement defendu. On les vend depuis deux jours un Louis d' or en cachette.* Iapanica CREBILLONII, iunioris, fabula, cuius hic mentio fit, cura Batavorum

Nos, CIVES, vel unum illud inclytum & stupendum miraculum, cuius hodie memoriam repetimus, adversus spurcos eiusmodi lanistas, si recte expendatur, satis confirmat & roborat. Coit pusillum agmen, inops, invisum, capite ac duce suo orbatum, at certum tamen, fore, ut quae discedens magister divinus pollicitus erat, die constituto evenirent. Hac pleni fiducia consident, adventumque desideratissimi Spiritus Sancti expectant, qui omnem mentibus metum eximeret, quo excruciati adhuc fuerant inermes, hostiumque furori expositi, intelligentiamque coelesti lumine, voluntatem fortitudine & pericula quaevis adeundi alacritate, exornaret. Nec mora: adest divinum illud donum, quo nullum homini maius & praestantius obtingere potest. Praesentiam eius non ipsi tantum sentiunt, verum etiam vicini primum, deinde remotiores, intelligunt. Vehemens ventus totam domum commovet, efficitque strepitu suo, ut perterriti magno numero Iudaei accurrant. Eiusmodi scilicet opus erat in re tam nobili & aeternum commemorabili signo, ne testium omnis generis copia deesset. Paullo post facies incolarum repente mutata, nec homines amplius, sed Deos, si hoc uti verbo fas est, referre videtur. Egreditur animis subito ignorantia, timi-

---

tavorum anno praeterito iterum est edita. Satyra haec est peringeniosa & acerba in aulam Gallicam, Romanum Pontificem, eiusque legem, quae vulgo *Vnigenitus* dicitur, NOAILLIUM, antistitem Parisiensem, multosque alios, qui summa valent inter proceres Gallicos auctoritate: verum nec pudoris auctor, nec religionis, nec honestatis rationem habuit, dignus propterea, in quem Senatus supremus graviter animadverteret. Est tamen plus in hoc apologo verecundiae & pietatis, quam in nostri Malabarici nugatoris chartis: quod ipsum sine dubio Batavos continuit, ne quod publice iam promiserant, has etiam formis suis describerent. Sed quod illi, religione victi, a se impetrare haud potuerunt, id Germanus argento inhians a se facile obtinuit.

timiditate comitata, linguaeque fulgentes nil, nisi robur, fidem, constantiam, hilaritatem, Deique gloriam & in homines amorem resonant. Quod maximum, ex rudibus, nullisque litteris imbutis, puncto temporis omnium fere linguarum peritissimi fiunt. Constant omnes sermones variis sonis, qui longo usu & crebra exercitatione, memoriae mandari debent: His deinde sonis pro arbitrio populorum certae potestates subiectae sunt, quas qui animo sine vitio complecti volunt, omnes cum ingenii, tum memoriae, immo rationis, nervos intendant necesse est. Nec tamen, etiamsi quis omnia linguae cuiusdam vocabula, notionesque cum illis coniunctas mente comprehenderit, idcirco statim commode & expedite sensa suas per hasce notas explicare poterit. Novum hoc & difficile negotium est, quod nemo, nisi assiduus & laboris patiens, confecerit. Accedit aliud, nec minus fastidiosum. Omnes prope linguae singularem quemdam oris habitum & instrumentorum loquendi conformationem, cum alias propter causas, tum propter sonorum mirificam discrepantiam, requirunt. Quapropter qui populum quemdam lingua ipsi domestica compellare, nec ineptus aut obscurus videri vult, is non tantum curet, ut loqui, sed etiam ut scite atque decore pronuntiare valeat. Tot, tamque diversas facultates amici IESV CHRISTI a Spiritu S. momento citius accipiunt. In memoriam primum eorum innumerabiles, variique generis notae rerum imprimuntur: intelligentia quaenam res hisce notis respondeant, eodem tempore percipit: ingenium dexteritate ornatur ex immenso isto signorum agmine ea celeriter deligendi, quae cogitationes animi apte atque perspicue, quaecumque demum gens alloquenda sit, exprimant: lingua denique, ceteraque dicendi instrumenta, ne qua ratione perspicuitatem orationis turbent & impediant, instruuntur. Haec quis, nisi

ſenſus inops, non obſtupeſcat? Nondum omnia diximus. Sanctiſſimis hominibus, quibus Servator noſter grandem hanc ad humanum genus legationem commiſerat, de rebus novis plane & inauditis antea praecipiendum erat. Novas autem & inauditas res nova poſcere vocabula, aut novas ſaltim veterum vocabulorum poteſtates, nemo neſcit. Igitur hanc quoque vim divinus Spiritus mentibus illorum tribuere debebat, ut ignotam adhuc populis fere omnibus ſapientiam inuſitato adhuc, ſed mundo tamen, illuſtri & aperto, ſermonis genere efferre poſſent. Hic virium ſuarum, ſi quid poſſunt, periculum faciant hodierni noſtri rerum divinarum irriſores! Optionem dabimus maledico generi, utrum ad cauſſas naturales prodigium hoc referre malit, an veritatem eius in diſceptationem vocare? Nihil inter haec duo medium & interiectum eſt. Illud ſi audeant, auctores ipſis erunt omnes, in quibus rationis aliquid eſt, ut Medicum adhibeant. Hoc ſi placuerit, res ipſa homines conticeſcere iubebit. Valuiſſe multarum linguarum cognitione legatos IESV CHRISTI, tam certum eſt, quam quod certiſſimum: nec enim, hac ſi deſtituti fuiſſent, tot, tamque varias gentes adire, tantamque ex univerſo terrarum orbe multitudinem Chriſtianis ſacris initiare potuiſſent. Praeceptorem ergo nominabunt, ſi Spiritum S. hunc eſſe nolint, qui publicanis his & piſcatoribus brevi temporis ſpatio tot linguis apte loquendi facultatem inſtillaverit. Et quid, quaeſo, id eſt, quod qui metu paucos ante dies pallebant, tam ſubito mutantur, nihilque amplius eorum formidant, de quibus nemo mortalium ſine formidine cogitat? Quid illud, quod conſtantiam hanc & animi magnitudinem inter infinitas calamitates & miſerias ad vitae usque finem ſervant? Falſane haec eſſe dicent, aut recondita quadam naturae vi perfici potuiſſe?

Haec

Haec nos, CIVES OPTIMI, his diebus commentemur! His ad fidem, ad ſanctimoniam, ad divinas laudes inflammari nos patiamur! His fiduciam, ſpem, rerumque huius mundi, turbidarum certe ac fluctuantium, contemtionem alamus! His animum, ſi quid forte calamitatis immineat, firmemus & oblectemus! Adeſt, qui noſtram imbecillitatem iuvet, idem ille potentiſſimus Spiritus, quo duce ac magiſtro timidi, inertes, ignari, vitioſi eſſe deſierunt amici IESV CHRISTI. Huic igitur nos totos regendos & inſtituendos tradamus! Huic caſta mente ſupplicemus, ut fomitem peccatorum in nobis haerentem extinguat! Hoc monitore, ſordes omnes conſtantiſſime fugiamus, quo laetis hinc & ſecuris ad aeterna gaudia, ſanguine IESV CHRISTI parta, ex hac turba & colluvione proficiſci nobis aliquando liceat. P. P. in Acad. Iulia XIII. Id. Maii A.S.R. CIↃ IↃ CC XXXVI.







